This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



48.248.

Digitized by Google

Digitized by Google

48.248.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

De

PRONAO,

sive

DE NEXU,

quo

Conciones, Preces Communes et Promulgationes Ecclesiasticae cum Missarum Solemniis cohaereant.

Scripsit

JAC. KRAFT,

Ss. Theol. Doctor ejusd. Prof., Sem. Episcop. Trevir. Subregens.

5-8.

TREVIRIS, 1848.

Sumptibus et typis Fr. Lintzii.

Digitized by Google

Digitized by Google

L. S.

Ex quo tempore studium christianae antiquitatis majori denuo amore fovetur, viri haud pauci eruditione insignes ceremoniarum ac rituum ecclesiae catholicae origines etiam perscrutari coeperunt. Tantum vero abest, ut more scriptorum quorundam nova sectantium haec omnia tanquam superflua et inepta rejiciant aut proprio arbitrio eadem reformare ac immutare praesumant: ut potius in exploranda eorum vi ac ratione nec non in eruendis divinis mysteriis, quae sub his signis externis lateant, omnem operam impendant, quippe qui putent, usus ecclesiasticos antiquissima traditione et apostolica auctoritate sancitos pia religione esse custodiendos. Est autem totius divini cultus augustissimum missae sacrificium caput et centrum, viva repraesentatio ac memoria passionis et mortis Salvatoris nostri, splendidissimum divinae charitatis documentum firmissimumque unitatis vinculum. In hoc omnes conveniunt, quotquot per universam terram verae fidei christianae adhaerent. Hinc templorum magnificentia et celsitudo, hinc rerum sacrarum nitor, ceremoniarum solemnitas, sacerdotum unctio, fidelium devotio. Cuncta enim serviunt Ei, per quem omnis creatura instaurata est. Quamvis diversarum gentium liturgiae sint propriae, vel saltem ritus quidam peculiares, ubique tamen unum idemque sacrificium celebratur, una eademque fides tenetur, nihilque officit unitati charitatis haec consuetudinum varietas. Sunt tamen, quos haec ceremoniarum diversitas haud magis offendat, quam earum, ut

Digitized by Google

ipsi arbitrantur, usus nimius et immoderatus. Dum enim apud acatholicos caput totius externi divini cultus in evangelica praedicatione consistit: in ecclesia catholica missae sacrificii oblatione praeprimis sacra liturgia perficitur, neque tamen ideo verbum Dei ab ea posthabitum fuisse existimandum nobis est. Testis hujus rei est orbis terrarum, ob annuntiationem evangelii ejusque confessionem martyrum sanguine irrigatus: testes sunt tot milia hominum ad fidem christianam conversa, tot conciliorum decreta, quibus episcopi aeque ac presbyteri de implendo hoc munere serio admonentur et intima sermonum cum missarum solemniis conjunctio praescribitur. Nam praedicatio verbi divini sano ceremoniarum usu et rationabili cultus divini splendoris cura non solum nullum detrimentum patitur, verum etiam continua rituum sensus ac rationis expositione promovetur, ipsaque externa illa signa nil nisi totidem voces sunt, quae admirabilem Salvatoris nostri gloriam praedicant, mentes ad coelos erigunt animosque sanctissimis pietatis affectibus implent. Quae quidem omnia, quum sobrie adhibeantur, non possunt, quin rerum coelestium desideria in hominum cordibus excitent atque augeant.

Jam vero, quemadmodum in Christo, cujus mortis salutiferae memoriam in sacrificio missae celebramus, omnis spes nostra reposita est omnisque devotio nostra tam communis ac publica quam privata ab ipso velut fonte omnis sanctificationis gratiam haurit et benedictionem: ita etiam ritus externi, quibus sacrificium incruentum tanquam involucris et ornamentis circumdatum est, ad Christum, sub elementis panis et vini realiter praesentem et Deo Patri omnipotenti per manus sacerdotis pro salute mundi offerendum respiciunt, quo solemniori et actioni tam excelsae aptiori modo res tota consummetur. Quapropter ecclesiae catholicae, quum Deo cultum religionis aeternae Majestati debitum exhibeat, Unigenitus Dei Filius, homo factus et in ara crucis pro redemptione generis

Digitized by Google

humani oblatus, vere est Alpha et Omega, principium et finis omnis venerationis et adorationis Deo omnipotenti faciendae, atque viva et realis repraesentatio passionis ac mortis Salvatoris nostri in missae sacrificio recolenda justissimis ex causis tanquam centrum totius publici divini cultus consideranda est. Verum sacrificium cruentum incruento modo continuo renovantes non solum qua Redemptorem et Mediatorem Christum veneramur, sed etiam qua Magistrum, Legislatorem ac Dominum universorum in coelo et in terra, ita ut totum redemptionis opus grata memoria celebremus. Omni igitur fundamento caret, quod acatholici nobis objiciunt, in ecclesia catholica evangelii praedicationem ceremoniarum multitudine ac copia opprimi; quum concionis missarum solemniis innectendae consuetudo semper viguerit. Attamen quoad usum pastoralem non idem modus nec eadem lex ubique servatur, aliis conciones extra missarum solemnia habentibus, aliis missae sacrificio eas conjungentibus. Alii omnem curam de externo cultu divino summa cum solemnitate peragendo adhibent, et quoscunque ritus quam accuratissime absolvunt, quin, rebus externis nimium indulgentes, eadem diligentia muneri praedicationis evangelii incumbant. Alii haec externa pietatis signa et fomenta omnino negligunt, quasi humana natura ad servitium debitum Deo reddendum talibus incitamentis non indigeat, et cultum internum tantopere urgent, ut externum vanum et superfluum putent; perverso enim Mysticismo aut Rationalismo adhaerentes, omnem hominum salutem tantum a mentis illuminatione pendere existimant, imo nonnulli has ceremonias irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis somniarunt. Alii contra ecclesiae decreta ritus approbatos et receptos propria auctoritate aut omittere aut mutare sibi praesumunt, alii denique missae sacrificio res profanas admiscent, tam loco sacro quam huic sanctissimae actioni prorsus alienas.

Digitized by Google

Quam ob causam operae pretium esse duximus, vestigia christianae antiquitatis perscrutando, nexum intimum evangelii praedicationis cum missarum solemniis, seu verbi Dei cum externo publico divino cultu eruere; cumque concionibus plerumque preces communes et promulgationes ecclesiasticae jungantur, atque haec omnia, quae tanquam limes quidam inter missam catechumenorum et fidelium interjecta sunt, sub nomine „Pronai“ occurrunt, hanc dissertationem „De Pronao“ inscripsimus eamque Amplissimae Facultati theologicae Friburgensi Brisgoviae ad summos in theologia impetrandos honores obtulimus.

Scribebam Treviris die 22. Decembris A. S. 1847.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Prolegomenon.

Notio, origo et partes pronai.

§. 1.

In conciliis provincialibus et libris ritualibus ecclesiae gallicanae saepenumero de pronao sive prono tanquam parte aliqua publici divini officii mentio fit. Una cum rituali dioecesis Argentoratensis iste pronaus etiam in rituale majus ecclesiae Trevirensis postrema ejusdem editione saeculo decimo octavo facta transiit [1]). Si rationem ac vim hujus vocis perquiramus, priscis religionis christianae temporibus πρόναος ea templi pars appellabatur, quae ingredienti primo sese offerebat, porticus scilicet sive vestibulum. Quum in ecclesiis majoribus saepe tres porticus essent, media ceteris longior etiam νάρθηξ dicebatur. In eadem commorabantur omnes, qui a communione ecclesiae sejuncti et in statum publice poenitentium reducti vel catechumeni quidem facti nondum tamen in gremium ecclesiae assumpti, ibidem psalmodiam lectionem et concionem tantum audiebant, quin iis licitum fuerit, sacris mystèriis, i. e. missae fidelium interesse [2]). A scriptoribus medii aevi vocabulum „pronaos“ sive „pronus“ in alio adhuc sensu passim usurpatur. Juxta glossarium Ducangii „pronaus“ atrium quidem aedis sacrae significat, „pronus vero gall. „prône“ familiaris de rebus fidei ad populum expositio interpretatur [3]). In statutis conciliorum provincialium apud Harduinum et Hartzhemium vox utraque idem sonat, et locum, in quo sermo ad populum habebatur, et hanc ipsam instructionem catecheticam sive homileticam una

---

1) Cf. Rituale majus Archidioecesis Trevir. p. I. f. 109. p. II. C. IX sqq. Contra in antiquioribus libris ejusdem dioecesis non occurrit

2) Cf. Pellicia de christianae ecclesiae politia, edid. Ritter t. 1. p. 130. Kreuser: Kölner Dombriefe; p. 24 et sqq.

3) Ducangii gloss. s. h. v.

Digitized by Google

cum precibus et publicationibus, infra missae parochialis solemnia fieri solitis [4]). Pronus ecclesiae est suggestum sive ambo ecclesiae antiquae, ante bematis sive presbyterii januas positus [5]).

In hoc prono sive pronao proclamationes et denuntiationes fieri solebant [6]). Sed et ipsae instructiones, publicationes et preces communes „proni" vocabantur [7]). Hinc „pronum" facere significat: ritum, instructionem populi, preces publicas et denuntiationes peragendi, pro missa parochiali in libris ritualibus praescriptum, administrare [8]). Huic usui vocis „pronus" lingua gallica omnino respondet. Substantivo enim „prône" sermo familiaris diebus dominicis a parochis et eorum vicariis ad populum in ecclesia parochiali haberi solitus significatur [9]); verbum autem „prôner" idem sonat quod palam facere, promulgare. Verosimiliter pronus a graeco πρόναος vocis originem accersit, hoc est, ut papa Benedictus XIV et Pouget id explicant [10]), ab illa templi parte, quae ab ejus limine ad chorum protenta laicos continebat, cum clerici in choro seu presbyterio continerentur. Alii ut cardinalis Bona vocem a latino vocabulo

---

[4]) Cf. Hard. acta concil. t. 10. p. 140 et Hartzhem. concilia Germ. t 8. p. 187.

[5]) Pellicia l. c. p 129 et 135. Hard. t. 10. p. 462 et 464. „E suggesto, quod pronum vocant, publicationes fieri debent." Juxta Ducangii glossar. ambo est pulpitum sive tribunal ecclesiae, ad quod gradibus ascenditur. Walafridus Strabo vocem „ambo" ab ambiendo derivat, quia intrantem ambit et cingit; at constans est doctiorum sententia, a voce graeca ἀναβαίνειν latine formata esse derivandam. In ambone legebantur lectiones, epistolae et evangelia in sacris liturgiis. In ambonis parte superiore bini erant gradus, alter altior, in quo evangelium legebatur, alter inferior, in quo epistola recitabatur. Martyrum quoque acta in ambone praelegebantur omniaque in eo recitari solebant, quae populo erant promulganda. Tandem in ambonibus etiam orationes seu sermones ad populum habebantur.

[6]) Hard. t. 10. p. 1217 et 1404.

[7]) Hard. t. 10. p. 1364. „publica proni denuntiatione" parochi quosdam excommunicatos denuntient. p. 1357. „in publicis denuntiationibus seu pronis recitent homiliam officii diei propriam." cf. p. 1801. 1405. Hartzh. l. c. et t. 10 p. 345. et ritualia ecclesiae gallicanae.

[8]) Cf. Hard. t. 11. p. 36, 50, 65 et sq.

[9]) Discours, que le curé prononce le dimanche à l'église paroissiale sur l'épitre ou l'évangile du jour. Mozin nouveau dictionnaire complet. s. h. v.

[10]) Benedict. XIV de sacrosancto missae sacrificio lib. 2. c. 7. Pouget. institut. cathol. p. 3. sectio 2. c. 7. §. 12. Denuntiationes illae et orationes fiunt in pronao, ait Pouget, quia ad plebem christianam ibi stantem vel sedentem dirigitur oratio. Tandemque pro denuntiationibus ipsis pronai „vox obtinuit, usu recepto, quem penes arbitrium est et mos et norma loquendi." Verum tota haec pars ecclesiae, in qua fideles ss. mysteriis celebrandis intererant, non πρόναος sed ναός vocabatur, quamquam nonnulli hoc nomen soli presbyterio vindicare velint, ita ut cetera omnia quasi vestibulum ecclesiae forment. cf. Kreuser: Kölner Dombriefe. p. 30.

Digitized by Google

„praeconium“ derivant [11]). Precibus enim illis communibus, quae ante oblationes a populo ad Deum fundebantur, a s. Basilio nomen datur *τῶν κηρυγμάτων τῶν ἐκκλησιαστικῶν*, eo quod a diacono, qui publicus in ecclesia erat *κῆρυξ* seu praeco indicebantur [12]).

Non tantum preces, sed et leges ecclesiasticae et canonum decreta, quae promulgari in ecclesia mos erat, ut neminem laterent, *κηρύγματα*, i. e. praeconia appellabantur [13]). Quare vocem „pronus“ a praeconio originem sumsisse nonnulli putant. Alii tandem opinantur, vocabulum istud proni vel gothicum esse, vel certe corruptum pro throno, alias enim nationes thronum vocare et cathedram et pulpitum [14]). Quamvis derivatio ista a praecone, praeconiis et praeconizando fini et elementis pronai non aliena sit, attamen sicut et ultima illa a throno longius petita esse videtur. Quum enim voces „pronaos“ et „pronus“ promiscue adhibeantur ad significandum tam locum, in quo expositio divinarum scripturarum ad populum fiebat, quam res ipsas ibidem praedicandas et promulgandas; certum fere exploratumque habemus, easdem a graeco *πρόναος* originem traxisse et suggesto eam ob causam nomen istud impositum fuisse, quod ante navim (*νάος*) ecclesiae positum instructioni fidelium inservierit. Tum per metonomyam pro loco etiam sermones, orationes et promulgationes, quae ex ambone fieri solebant, „pronai“ sive „proni“ appellabantur [15]).

Nomen illius loci, in quo catechumeni et poenitentes olim morabantur, qui in multis ecclesiis usque ad chorum adtingebat, ad cujus finem ambo positus erat, ut ex monumentis supra laudatis apparet, ad hunc ipsum translatum fuit.

Ad singulas pronai partes jam progressuri, statim animadvertimus, non eandem quoad numerum ubique dioecesium esse unitatem. Synodus Bisuntina quinque numerat proni partes. Prima pars est expositio orationum, quae fieri debent; secunda

---

[11]) Lib. 2. c. 7.

[12]) Epist. 154 t. 3. edit. Maur. p. 244.

[13]) Basil. de sp. s. cap. 27. *κήρυγμά* vocat canonem a se in raptores editum; *κήρυγμα* dicitur jejunii Quadragesimae per totum orbem promulgatio. Preces liturgiae, quibus non intererant catechumeni pariter vocantur praedicationes.

[14]) Cf. statuta synodalia Bisunt. dioec. a. 1571. emissa apud Hartzhem. t. 8. p. 187, ubi etiam singulae proni partes fusius recensentur.

[15]) Etymologia ista, qua pronum per contractionem ex pronao compositum esse et ad suggestum sive ambonem ante navim ecclesiae referri exponitur, minime, ut apud Hartzhem. insinuatur, longe petita esse videtur.

Digitized by Google

promulgatio eorum, qui ab ecclesia excommunicantur, tertia annuntiatio diei festi proxime celebrandi una cum instructione quadam brevi de rebus fidei et morum; quarta preces flexis genibus fundendas complectitur et quinta matrimoniales proclamationes [16]). Simili modo rituale majus Trevirense in prono faciendo distinguit concionem diebus dominicis et festivis ad populum habendam, preces pro universis populi christiani necessitatibus fundendas, commendationem tam vivorum quam mortuorum, pro quibus specialius orandum est, modum denuntiandi populo jejunia et festa servanda, faciendi proclamationes eorum, qui ad sacros ordines promovendi sunt, modum, banna seu proclamationes contrahendorum matrimoniorum faciendi, denuntiandi excommunicationem, monitoria et alia id genus, quae ex officio vel jussu episcopi publicanda sunt [17]). Nemini non est primo intuitu perspicuum, omnes res istas postremo facile ad tres partes reduci posse, instructiones scilicet seu conciones populares, preces communes et promulgationes ecclesiasticas. Quam ob causam non cum cardinali Bona quatuor sed cum Pougetio tres tantum partes pronai distinguimus. Tribus de causis, ait, fit pronaus.

„1. Ut parochus exponat quae continentur in evangelio et epistola mox citatis ceteraque doceat omnia, quae ad fidem et mores pertinent.

2. Ut denuntiet et faciat preces in libro rituali praescriptas.

3. Ut denuntiet populo leges et praecepta ecclesiae, festa, jejunia, abstinentias a carnibus, matrimonia contrahenda, monitiones excommunicationum ferendarum, excommunicationes latas, indulgentias concessas a summo pontifice vel episcopis, cetera denique omnia, quae populo denuntiari jubet ecclesia.“

Vox quidem et modus ac ratio faciendi pronum ecclesiae gallicanae propria sunt, res vero eadem est in universa ecclesia catholica. Quare singulas proni partes uberius jam perlustrabimus.

---

[16]) Apud Hartzh. l. c.
[17]) Rit. Trev. l. c.

Digitized by Google

Caput primum.

Instructiones et conciones in pronao ad populum christianum habendae.

§. 2.

Ab incunabilis ecclesiae christianae usque ad hodierna tempora praedicatio evangelica haud exiguam publici divini officii constituit partem. Mos in Judaeorum synagogis usitatus, post legis aut prophetarum lectionem sermonem quendam ad ipsam legem ac prophetas interpretandos et ad populum exhortandum ejusque mores corrigendos habendi, in ecclesiis quoque christianae plebis retentus est, eo tantum discrimine, quod hic non solum libri veteris testamenti, verum etiam scripturae divinae novi testamenti praelegebantur et exponebantur. Morem illum testatur s. Lucas evangelista in evangelio suo et in actis apostolorum [1]). Lectiones autem has una cum sermonibus iisdem conjunctis plebem in sacra mysteria peragenda introduxisse et atrium quasi missae fidelium constituisse omnes fere testantur ss. patres, omnes scriptores ecclesiastici omniumque ecclesiarum liturgiae. Quemadmodum Salvator noster sermonibus, sapientia et charitate divina plenis, discipulos suos ad sacram coenam praeparabat et in novi testamenti sacrificium, memoriam realem ac perpetuam sacrificii cruenti, quod in ara crucis Patri suo omnipotenti offerendum illi erat, celebrandum introducebat [2]): ita apostoli eorumque successores, cum sacra mysteria perficerent, viva evangelica voce populum docere ac aedificare solebant. Legimus in actis apostolorum, neobaptizatos perseverasse in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus [3]). Ibidem legimus, Paulum una i. e. prima sabbati Troade cum discipuli convenissent ad frangendum panem, disputasse cum eis, profecturum in crastinum protaxisseque sermonem usque in mediam noctem [4]). En prima vestigia conjunctionis evangelii praedicationis et expositionis cum fractione panis, i. e. cum celebratione sacrificii eucharistici. Quod literae

---

[1]) Luc. IV. 15 et sqq. act. XIII. 14 et sqq. XVII. 1 et sqq.
[2]) Joh. XIII et sqq.
[3]) Act. II. 42 et sqq.
[4]) Act. XX 7.

Digitized by Google

divinae jam insinuant, id innumera ss. patrum testimonia confirmant certumque omnino reddunt. Testis est s. Justinus martyr in apologia prima ordinem et seriem eorum quae in synaxibus geruntur, ita describens: „In omnibus oblationibus laudamus Creatorem omnium per filium ejus Jesum Christum et per Spiritum Sanctum. Ac solis ut dicitur die omnium sive urbes sive agros incolentium in eundem locum fit conventus, et commentaria apostolorum aut scripta prophetarum leguntur quoad licet per tempus. Deinde ubi lector desiit, is qui praeest, admonitionem verbis et adhortationem ad res tam praeclaras imitandas suscipit.“ (*ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθησίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν κάλων τούτων μιμήσεως ποιεῖται*) [5]. Ex his verbis et ex iis, quae ibi paulo ante referuntur, apparet, lectionem scripturarum, adhortationem episcopi, preces et gratiarum actiones oblationi et consecrationi panis et vini aqua mixti fuisse conjunctas. Id etiam indicant verba subsequentia: „Postea omnes simul consurgimus et preces emittimus: atque, ut jam diximus, ubi desiimus precari, panis offertur et vinum et aqua: et qui praeest, preces et gratiarum actiones totis viribus emittit et populus acclamat Amen, et eorum, in quibus gratiae actae sunt, distributio fit et communicatio unicuique praesentium.“ En totum publicum divinum officium primaevae ecclesiae, en partes praecipuas liturgiae antiquae, en intimum lectionis et praedicationis cum sacrificio eucharistico nexum. Nam qui conventui praeerat, i. e. episcopus, lectionibus factis admonitionem et exhortationem suscipiebat, ut praesentes ad imitandas res tam praeclaras quae praelectae fuerant, incitaret, et tum sacra ipsa peragebat.

Testis est Tertullianus, qui in libro de anima loquitur de sorore quadam; „quae in ecclesia inter dominica solemnia revelationes per exstasin patitur et post transacta solemnia et dimissa plebe renuntiat, quae videt et audit.“ „Jam vero, ait, prout scripturae leguntur aut psalmi canuntur aut adlocutiones proferuntur aut petitiones delegantur, ita inde materiae visionibus subministrantur [6].“

Adlocutiones hoc loco commemmoratae idem valent ac exhortationes sive conciones: easdem post scripturae lectionem habitas fuisse, exinde constat, quod in recensendis singulis divini officii partibus lectionem subsequantur: sacrorum autem

---

[5]) Apol. I. n. 67 edit Maur.
[6]) Cap. 9 edit Rigalt.

Digitized by Google

celebrationis tempore id factum esse, verba „inter dominica solemnia“ et „post transacta solemnia, dimissa plebe,“ haud obscure indicant. Finem et scopum talium lectionum et exhortationum Tertullianus in apologetico ita depingit: „Coimus ad literarum divinarum commemorationem; si quid praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit, aut recognoscere, certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam praeceptorum nihilominus inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes et censura divina [7]).

Multo apertius hanc rem adhuc testatur auctor constitutionum apostolicarum, dicens: „Peractis per binos lectionibus, quidam alius Davidis hymnos psallat et populus extrema versuum succinat. Dein acta nostra recitentur et epistolae Pauli adjutoris nostri, quas Sancti Spiritus ductu ad ecclesias misit. Postea diaconus vel presbyter legat evangelia . . . Cumque recitabitur evangelium, omnes presbyteri ac diaconi universusque populus magno cum silentio stent . . Post haec presbyteri exhortentur populum (*παρακαλείτωσαν τὸν λάον*), singuli nimirum, non autem omnes et cunctorum postremus episcopus, qui similis est rectori navis . .“ Jamque oratio communis, oblatio et consecratio eucharistiae sequuntur [8]). Secundum alium locum „post lectionem legis et prophetarum et epistolarum nostrarum et actorum atque evangeliorum ordinatus ecclesiam salutet . . . et post salutationem populum alloquatur verbis exhortationis (*προς-λαλησάτω τῷ λάῳ λόγους παρακλήσεως*). Cumque doctrinae sermonem finierit (*καὶ πληρώσαντος αὐτοῦ τὸν τῆς διδασκαλίας λόγον*), ajo ego Andreas, frater Petri, ut universis consurgentibus diaconus in excelsum locum ascendens, proclamet: „ne quis audientium, ne quis infidelium“ [8]). Quod si tria haec loca Justini, Tertulliani et auctoris constit. apost. invicem conferamus, mox elucebit, primis ecclesiae saeculis praeter psalmorum cantum et scripturarum lectionem etiam praedicationis evangelii in celebrandis mysteriis non mediocrem fuisse partem. Consistebat enim publicum divinum officium in precibus, lectione prophetarum, evangelii praedicatione, sacrificii oblatione et sacri cibi dono [9]). Verbum igitur divinae sapientiae ex ore altissimi egressum etiam post Christi ascensionem ad caelos flumine continuo et irriguo

---

[7]) Apol. c. 39.

[8]) Lib. 2, cap. 57 edit. Coteler. et lib. 8. c. 5.

[9]) *Εὐχαί, προφητῶν ἀνάγνωσις καὶ εὐαγγελίου κηρυκία καὶ οὐσίας ἀναφορὰ καὶ τροφῆς ἱερᾶς δωρεά.* constit. apost. 2, 59.

Digitized by Google

se effundebat in hominum corda. Dum populus per baptisma Christo unitus ad recolendam memoriam Salvatoris sui conveniebat et opera divinae misericordiae celebrabat, tuba clangebat evangelica, sed et lex cum prophetis et apostolis promulgare pergebat dei praecepta et consilia. „Sanctum evangelium, ait Rupertus Tuitiensis, principale est omnium, quae dicuntur ad missae sacrificium. Sicut enim caput praeeminet corpori et illi cetera membra subserviunt: sic evangelium toti officio praeeminet, et omnia quae ibi leguntur vel canuntur, intellectuali ratione illi consentiunt“ [10]).

Lex et prophetae temporis plenitudine ingrediente oblivioni non reddebantur: imo adimpletio eorum in Christo, per quem lex data et prophetae locuti sunt, semper pronuntianda erat; literae autem apostolorum, afflante divino spiritu exaratae, evangelio in hominum animis aditum parare debebant [11]). Hac ratione fluenta aeternae sapientiae nunquam terram irrigare cessabant. Verbum, quod de Patre exivit et in hunc mundum venit, ut illuminaret eos qui in tenebris et in umbra mortis sedebant et pedes nostros in viam pacis dirigeret, oriens ex alto, splendor gloriae et figura substantiae Dei, omni quidem tempore lumine evangelii mentis oculos irradiat: verum tum fons vitae viva sermonis praedicatione largius scaturit, cum et fons charitatis benedictione coelesti superabundat. Cum odor sacrificii incruenti, Deo placabilis, per manus angelorum in sublime altare omnipotentis ascendit, tum etiam thymiama doctrinae evangelicae accendi debet. Iisdem ergo temporum momentis lux in tenebris lucet, quibus in θυσιατηρίῳ vita Patri oblatio munda offertur. Tum et imber coelestis descendit, aurae sermonis se attollunt, guttulae pluviae evangelicae stillant aquam salutarem eamque in cor hominis effundunt; nubes ignorantiae antiquae jam dissolvuntur et caligo mentis peccato obcaecatae dissipatur: terra spinas et tribulos germinans jam rore verbi divini perfusa, floribus se vestit et fert fructus vitae aeternae; fides, ut Tertulliani verbi utamur, pascitur, spes erigitur, fiducia figitur, disciplina densatur. Quis autem populo scripturas aperuit? Quomodo plebs intelligat quae legit et audit, nisi quis ei ostenderit? Ὁ προεστώς, i. e. episcopus aut presbyter, ut Justinus

---

[10]) De divinis officiis lib. 1. c. 37.

[11]) Perbene hunc nexum elucidat Kössing: Liturgische Vorlesungen über die heil. Messe; p. 225 et sqq.

Digitized by Google

et constit. apost. indicant, explicat ea, quae lecta sunt et pro qualitate temporum exhortationes, correptiones et admonitiones iis connectit. Quare sermones ipsi adlocutiones, λόγος διδαχαλίας, λόγος παρακλήσεως appellantur. Iis ergo clavis ad aperiendas scripturas data est, quibus munus praedicationis evangelii vi divinae institutionis et apostolicae ordinationis incumbit. Cum autem Christus ostium sit in ovile ovium, episcopi vero et presbyteri ostiarii ab ipso missi, qui aperiant et quorum vocem oves audiant, cumque apertio praedicatione evangelii et assumtio ipsa in communionem fidelium sacramento baptismi fiat: merito instructio christiana clavis quodammodo ad januam ecclesiae nominari potest, quamvis vera clavis, qui aperiat et claudat, sit ipse Salvator noster Jesus Christus. Cum porro ecclesia a sanctis patribus saepe navi comparetur [12]), ad quam per baptisterii portas introitus pateat, apertio evangelii merito πρόναος seu vestibulum dicitur. Eodem sensu concio atrium quoddam est, ad navim ecclesiae perducens et baptismi sacramentum veluti janua, qua in christianae vitae societatem ingredimur; ab eo enim divinis praeceptis obtemperandi initium facimus [13]). „Qui crediderit et baptizatus fuerit, ait Salvator noster, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur“ [14]). Simili modo apostolus ait: „Omnis, quicunque invocaverit nomen domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Qnomodo autem audient sine praedicante? . . . Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi“ [15]). Praedicatio igitur invocationem nominis domini praecedere debet; hujus enim radix est fides, fides autem ex auditu eorum, quae verbum divinum nobis annuntiavit. Nam „ordo est, ait s. Augustinus, ut prius discatis quid credatis et postea quid petatis“ [16]). Attamen de adultis tantum per baptismum in gremium ecclesiae suscipiendis hoc valet, quamvis infans quoque christianus, cui per baptismum

---

[12]) Cf. Constit. apost. l. 2. c. 57. Juxta hunc locum ecclesia navi similis est; diaconi sicut nautae fratribus quasi vectoribus loca disponunt. In medio est solium episcopi et utrimque sedet presbyterium et adstant diaconi, nautis similes, qui lateribus navis praesunt. Eorum cura laici ad alteram ecclesiae partem sedeant, mulieres ab iis separatae, medius lector in quodam loco excelso stat, totius autem navis rector est episcopus. En status interior ecclesiae navi comparatae.

[13]) Catechis. rom. q. 4. de baptism.

[14]) Marc. 16, 16.

[15]) Rom. 10, 13, 14, 17. Reithmayer: Commentar zum Briefe an die Römer.

[16]) S. 57. edit. Maur.

Digitized by Google

fides infusa est, ut sui ipsius qua hominis christiani conscius fiat, indigeat postea instructione et praedicatione, qua veritates fidei et morum cognoscat. Concione, ut vidimus, quasi *τὸν πρόναον τοῦ νάου* constituente, non mirandum, quod nemini unquam aditus ecclesiae ad audiendum verbum divinum denegatus sit; imo catechumeni aeque ac ipsi Judaei et gentiles admittebantur; „omnes, ait Tertullianus, pariter adeunt, pariter audiunt“ [17]. Hinc synodus Carthagin. IV. sanxit: „Ut episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam et audire verbum Dei, sive gentilem, sive haereticum, sive Judaeum usque ad missam catechumenorum“ [18]. Quam ob rem id factum sit, declarant patres concilii Valentini, dicentes: „Sic enim pontificum praedicatione audita nonnullos ad fidem attractos evidenter scimus“ [19].

Verum ut mox videbimus, ex hac re rursum elucet, hunc sermonem tantum quasi pronaum reputatum fuisse, cum ecclesiae praesides de mysteriis altum silentium servarent, quippe quae initiatis solum revelanda essent. Quodsi igitur haec omnia serio perpendimus, non possumus quin statuamus, primis ecclesiae temporibus expositionem evangelii sive praedicationem verbi divini sacris solemniis fuisse conjunctam, fidelibus autem tantum licitum fuisse, ipsis mysteriis celebrandis interesse.

§. 3.

Saeculis quoque subsequentibus concionem plerumque insignem publici divini cultus partem constituisse, liturgiis sacris tam occidentalis quam orientalis ecclesiae et innumeris patrum testimoniis probari facile potest. Verbum Dei, per os Unigeniti mundo annuntiatum, jam multorum hominum corda penetraverat; et semen istius verbi divini martyrum sanguine irrigatum, jam uberrime germinaverat; granum sinapis factum est arbor, cujus rami per universam terram se extendunt; quanto vehementior tribulationum et persecutionum ventis agitabatur, tanto altius radices egit, ita ut nationes terrae sub umbra ejus requiescerent. Reddita ecclesiae per edicta imperatorum pace ac securitate, mox ipsorum munificentia in Christi honorem sanctorumque memoriam erigebantur aedificia, templa gentilium aut diruta aut in christianorum ecclesias versa fuere. Quae cum splendidissime

---

[17]) C. 41 de praescript. haeretic.
[18]) C. 84.
[19]) Edit. regia concil. t. 11. p. 26.

Digitized by Google

exornarentur, nil aberat, quin et sacra mysteria summa cum majestate celebrarentur. Sed et vox evangelica eo sonorius clangebat, quo splendidius sacra mysteria totusque cultus externus ob templorum celsitudinem et libertatem ecclesiae concessam peragi poterant; quo ferventius pectus sacerdotum pro tuenda fide orthodoxa adversus haereticorum malitias turgebat. Viri illustres, in gentilium scholis omni scientiarum genere instructi, legibus rhetorices bene periti et dono eloquentiae praediti, christianae religioni nomina dederunt. Ipsorum fervore, cura pastorali et invincibili animi fortitudine non solum fidei integritas haeresibus toto fere terrarum orbe gliscentibus servata, sed etiam sanctuarium altissimi tam intra ejusdem parietes solemnissima sacrarum liturgiarum celebratione quam in hominum cordibus viva evangelii praedicatione ornatum est.

Quemadmodum primis ecclesiae saeculis ita et nunc lectio et expositio sacrarum scripturarum seu praedicatio evangelii cum sacrificii oblatione conjuncta est. Hoc nobis testantur ordines liturgiarum tam orientalis quam occidentalis ecclesiae. Omnes enim istae liturgiae lectiones, e libris veteris et novi testamenti selectas continent, ut et flumen verbi divini ibi se effunderet, ubi sanguinis Christi effusionis memoria recoleretur [1]). Factis autem istis lectionibus plerumque expositio earundem sequebatur; cumque lectiones partem liturgiae sacrae constituerint; praedicationem quoque eidem fuisse conjunctam apparet. Id nobis testantur sermones ipsi, quos episcopi et presbyteri hac occasione habere solebant, quippe qui saepenumero cum istis lectionibus arcte cohaereant, eas exponant et necessitatibus audientium applicent. Id nobis testantur homiliae Origenis seu commentaria ejusdem in singulos scripturarum divinarum libros; homiliae ss. Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, Augustini, Leonis et Gregorii M. et aliorum patrum. Nam in exordiis orationum suarum verba ex epistolae vel evangelii lectione mox pronuntiata non semel respiciunt. Verba et sententiae: „sanctum evangelium cum legeretur, audivimus. Lectiones sanctas plures cum recitarentur audivimus et de his oportet dicere. Evangelica lectio quae modo personuit in auribus nostris“ etc. passim in homiliis ss. patrum occurrunt. Nonne tales sententiae arctam conjunctionem ser-

---

[1]) Cf. liturgiam s. Basilii et s. Chrysostomi apud Goar. in euchologic., liturgiam romanam apud Muratorium, gallicanam apud Mabillonium, allemannicam apud Gerbertum etc.

Digitized by Google

monum cum lectionibus et tota liturgia sacra, cujus pars istae erant, demonstrant? S. Ambrosius, decus ecclesiae Mediolanensis in epistola quadam de basilica Arianis tradenda ad sororem missa narrat, quomodo a Valentiniani ministris ipse fuerit compellatus, populus autem reclamaverit. Tum pergit: „Sequenti die, erat autem dominica, post lectiones atque tractatum dimissis catechumenis, symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicae. Illic nuntiatum est mihi comperto quod ad Portianam basilicam de palatio decanos misissent, et vela suspenderent, populi partem eo pergere. Ego tamen mansi in munere, missam facere coepi. Dum offero, raptum cognovi a populo Castulum quemdam, quem presbyterum dicerent Arriani“ [2]). Lectio scripturarum sacrarum et tractatus sive concio tanquam lectionis expositio secundum hanc enarrationem missae sacrificio conjunctae erant. Apud s. Augustinum, jubar ecclesiae Africanae sequentia occurrunt sermonum exordia: „Apostolum audivimus, psalmum audivimus, evangelium audivimus, consonant omnes divinae lectiones“ [3]). Et alio loco: „Recentissima in auribus nostris sonuit evangelica lectio et ad cognoscendum quid sibi vellent quae lecta sunt fecit attentos. Hoc de me exspectari arbitror, hoc me pro viribus expositurum domino adjuvante polliceor“ [4]). Rursum: „Divinae lectiones omnes ita sibi connectuntur, tanquam una sit lectio, quia omnes ex uno ore procedunt. Multa sunt ora ministerium sermonis gerentium, sed unum est os ministros implentis“ [5]). Lectiones igitur mox sermo excipiebat et exponebat.

Eandem concionandi rationem secutus est s. Chrysostomus, splendissimum ecclesiae Constantinopolitanae lumen, e. g. celeberrimas homilias de statuis ad populum Antiochenum ita incipiens: „Audistis apostolicam vocem, tubam coelestem, lyram spiritalem“ [6]). Plurimi ejusdem sermones a lectionibus divinarum scripturarum exordiuntur easque magno ingenii acumine explicant et populi captui accommodant. Iisdem vestigiis inhaesit s. Leo, vir vere apostolicus, mira scientia in rebus divinis et eloquentia praeditus. In sermonibus suis, stylo eleganti exaratis, fere ubique ad lectionem evangelicam modo praelectam recurrit,

---

[2]) Epist. 20. ad Marcellinam edit. Maur.
[3]) S. 175. edit. Maur.
[4]) S. 124.
[5]) S. 170.
[6]) S. 1. tom. I. edit. Fronton.

Digitized by Google

e. g. „Auribus nostris lectio apostolicae praedicationis insonuit“... Praedicaturus vobis sacratissimum maximumque jejunium, quo aptius utar exordio quam ut verbis apostoli — incipiam, dicamque quod lectum est“ [7]). Sermo igitur hic nil aliud esse vult nisi expositio eorum, quae lecta fuerant. Ex hac intima sermonum cum lectionibus conjunctione haud obscure apparet, eosdem missarum celebrationi fuisse innexos; quod sequenti cujusdam a s. Leone in s. pascha habiti sermonis exordio confirmatur: „Totum quidem, dilectissimi, paschale sacramentum evangelica nobis narratio praesentavit et ita per aurem carnis penetratus est mentis auditus, ut nemini nostrum rerum gestarum imago defuerit. — Sed adjiciendum est etiam nostri sermonis officium, ut sicut pia exspectatione reposcere vos consuetudinis debitum sentio, ita solemnitati sacratissimae lectionis subjungatur exhortatio sacerdotis“ [8]). Expressis denique verbis hunc ecclesiae primaevae usum testatur s. Augustinus, dicens: „Ecce post sermonem fit missa catechumenis, manebunt fideles, venietur ad locum orationis“ [9]). Sermone igitur habito fiebat dimissio catechumenorum et tunc remanentibus fidelibus peragebantur oblationes et orationes. Addit enim: „Scitis quomodo accessuri sumus, quid prius Deo dicturi sumus. Dimitte nobis“, etc. Hunc etiam ecclesiae romanae usum fuisse, iterum expressis verbis testatur s. Gregorius M. sedis apostolicae quondam splendor ac lumen, in prologo ad librum quadraginta homiliarum in evangelia scribens: „Inter sacra missarum solemnia ex his, quae diebus certis in hac ecclesia legi ex more solent, sancti evangelii quadraginta lectiones exposui, et quarundam quidem dictata expositio assistenti plebi est per notarium recitata, quarundam vero explanationem coram populo ipse locutus sum [10]). Restat adhuc celeberrimum hujus moris b. Caesarii Arelatensis episcopi testimonium, dicentis: „Rogo vos, fratres carissimi et paterna pietate commoneo, ut quoties aut die dominico aut aliis majoribus festivitatibus missae fiunt, nullus de ecclesia discedat, donec divina mysteria compleantur. Et quamvis multi sint, de quorum fide et devotione gaudeamus, sunt tamen plures, minus de salute suae animae cogitantes, qui lectis divinis lectionibus statim de ecclesia foras exeunt. Unde rogo

[7]) S. 52 edit. Ballerin.
[8]) S. 72.
[9]) S. 49.
[10]) In prolog. ad homilias.

Digitized by Google

vos fratres, ut humilitatis nostrae suggestionem non solum patienter sed etiam libenter accipiatis" [11]). Cum simul in vita b. Caesarii narretur, „eum quadam die prospicientem de altario, vidisse aliquos lectis evangeliis de ecclesia foras exire, qui verbum beati viri, i. e. praedicationem dedignabantur in primo cognoscere" [12]), ex hoc luce clarius apparet, concionem ab eo factis lectionibus inter missarum solemnia esse habitam.

Quodsi jam patrum testimonia e propinquo consideremus et rationem ac modum, quo episcopi officio suo hac in re satisfaciebant, serio perpendamus, lectiones scripturae divinae in liturgia sacra pronuntiatas, etiam viva praedicationis voce populo exponendas esse rati sunt; quare explanatio ipsa plerumque verba praelecta suscipiebat, explicabat et audientium tam captui quam moribus accommodabat. Evangelica lectio, ait s. Leo, vobis causam festivitatis hodiernae quidem patefecit, per aures corporis interiorum mentium nostrarum pulsavit auditum, et ad magni sacramenti intelligentiam nos vocat; e. g. dominicae passionis historiam evangelica ut moris est narratione decursam, ita omnium arbitror inhaesisse pectoribus, ut unicuique audientium ipsa lectio quaedam facta sit visio. Verum sola lectio non sufficit, opus est ut et expositio accedat. Quamobrem, ut s. pontifex addit, sermonis officium etiam adjiciendum est lectionibus; quia apud fideles aures ignorantiae locus non est, semen verbi, quod est in praedicatione evangelii, debet in terra christianorum cordis augeri, ut remotis suffocationibus spinorum ac tribulorum libera in fructus suos exeant plantaria piorum sensuum et rectarum germina voluntatum. Quamvis lectio evangelica, ita alius ejusdem sermo incipit, causam festivitatis omnibus reseraverit, tamen ut nihil ipsis officii sacerdotalis desit, de eodem quod deus donavit loquendum est, ut in communi gaudio tanto religiosior sit omnium pietas, quanto magis omnibus fuerit intellecta solemnitas. Hoc etiam populus exspectat et huic exspectationi reddendum est sacerdotalis sermonis officium. Porro quia sacerdotalis officii est, erga omnes ecclesiae filios curam habere communem in id quod et rudibus prosit et doctis, quos simul diligimus, iidem pariter a nobis incitandi sunt. Non enim quia major pars ecclesiae Dei, quod credit intelligit, ideo necessarium non est, etiam quae dicta sunt dicere: omnibus enim

---

[11]) Hom. 12.
[12]) Cf. Mabill. lit. gallic. l. 1. c. 4.

Digitized by Google

oris nostri officium debemus, etiam ad fidem primum venientibus, meliusque est doctos onerare notis quam rudes fraudare discendis. Fiat ergo per corda omnium dispensatio munerum divinorum, et servitutem oris nostri docti indoctique non spernant: illi ut probent se amare quod norunt, isti ut ostendant se desiderare quod nesciunt. Etsi difficile est, de eadem re saepius digne apteque disserere, non est tamen liberum sacerdoti, in tanto divinae misericordiae sacramento, scilicet passionis, fidelis populi auribus subtrahere sermonis officium, cum ipsa materia ex eo quod est ineffabilis, fandi tribuat facultatem nec possit deficere quod dicatur, de qua nunquam potest satis esse quod dicitur. — Magni laboris quoque est magnique discriminis, inter dubias imperitorum opiniones et verisimiles falsitates per unam sanam doctrinae semitam inoffensis gressibus ambulare — habentes vero inter pericula erroris praesidia veritatis et non humanae sapientiae verbis sed doctrina Spiritus Sancti eruditi, quod didicimus credimus, quod credimus praedicamus [13]).

Iisdem oculis et reliqui ss. patres munus praedicationis intuentur. Jam prius s. Augustinus eundem modum in evangelii praedicatione observandum esse ostendit, dicens, tractationem seu concionem in expositione lectionum praelectarum consistere et ex his evangelicam lectionem prae omnibus sermonis argumentum suppeditare debere, hoc enim ipsos auditores exspectare et huic exspectationi satisfaciendum esse [14]). Hinc a patrum dicendi ratione multum aberrant illi concionatores, qui neglectis et posthabitis lectionibus ab ecclesia propositis arbitrarium omnino tam diei festivitati quam fidelium exspectationi alienum sermonis argumentum eligunt.

Hos autem sermones principaliter infra missarum solemnia esse habitos exinde quoque constat, quod catechumeni post sermonem dimitti solebant, quin missae fidelium interesse licitum illis fuerit, quapropter lectiones una cum precibus et adlocutionibus etiam missa catechumenorum appellabantur. Istam autem dimissionem catechumenorum mox habita concione fieri solitam fuisse, praeter testimonia supra laudata testatur etiam s. Athanasius, dicens: „Qui potuit oblatio opposita esse, cum intus essent catechumeni? Si enim intus erant catechumeni, nondum oblatio-

---

[13]) Sensa s. Leonis de praedicationis officio; cf. serm. 51. 72. 70. 33. 38. 76. 83. 62. 25.

[14]) Cf. s. 149.

Digitized by Google

nis tempus erat“ [15]). Catechumeni igitur ante oblationes dimittebantur. Simul hoc factum esse post sermonem habitum, rursus testatur concilii Laodiceni decretum: „quod oporteat seorsum primum post allocutiones (ὁμίλιας) episcoporum orationes super catechumenos celebrare; et postquam catechumeni egressi fuerint, super eos qui sunt in poenitentia“ [16]). Sermone enim finito diaconus dicebat: *μή τις τῶν κατηχουμένων· μή τις τῶν ἀκρωμένων· μή τις τῶν ἀπίστων· μή τις τῶν ἑτεροδόξων* [17]). Quum igitur adlocutio seu homilia partem missae catechumenorum constituerit, eam inter missarum solemnia habitam esse amplius dubitari non potest, quod etiam adhuc demonstrat concilii Valentini in Hispania decretum: „Inter cetera hoc censuimus observandum, ut sacrosancta evangelia ante munerum illationem in missa catechumenorum in ordine lectionum postlegantur, quatenus salutaria praecepta domini nostri Jesu Christi vel sermones sacerdotis non solum fideles, sed etiam catechumeni ac poenitentes et omnes qui e diverso sunt, audire licitum habeant“, cujus decreti ratio ex eodem canonc jam supra allegata est [18]).

Praedicationem evangelii insignem publici cultus divini partem etiam a saeculo quarto usque ad septimum fuisse statuendo, sermones semper ac ubique eidem fuisse conjunctos tamen non asserimus. Sacrosanctum missae sacrificium peragi potest, quin sermo eidem innectatur; concio enim ad sacrificii essentiam non pertinet. Cum in ecclesia Arelatensi multi lectionibus factis et sermone habito e domo Dei exirent, b. Caesarius de hac sacrificii negligentia summopere contristatus eos admonebat, dicens: „Si enim diligenter attenderitis, cognoscetis, quia non tunc fiunt Missae, quando divinae lectiones in ecclesia recitentur, sed quando munera offeruntur et corpus vel sanguis Christi consecretur. Nam lectiones sive propheticas sive apostolicas sive evangelicas etiam in domibus vestris aut ipsi legere aut alios legentes audire potestis; consecrationem vero corporis et sanguinis Christi non alibi nisi in domo Dei audire vel videre poteritis.“ Quapropter ad abrogandum talem abusum et januas

---

[15]) Apolog. 2. adv. Arian. edit. Maur.
[16]) Can. 19. apud Hard. t. 1. p. 784.
[17]) Constit. apost. lib. 8. c. 2 et 5.
[18]) Can. 1. edit. reg. t. 11. cf. Bingham: Origines sive antiquitates eccles. t. 5. lib. 13. c. 1. Apud Maronitas eandem habendi sermones fuisse consuetudinem demonstrat expositio liturgiae quam refert Assemanni in codice liturgico t. 5. p. 253.

Digitized by Google

ecclesiae occludi jussit. Quamvis igitur eucharistiae celebratio oblatione, consecratione et communione peracta verum sacrificium sit, quin eidem concio etiam sit jungenda: hoc testimonia allegata tamen demonstrant, hanc lectionum sacrae scripturae expositionem missarum solemniis innectendam morem fere universalem in omnibus ecclesiis fuisse, iis scilicet diebus, quibus mysteria christianae religionis solemniter celebrabantur, quod die praesertim dominico et aliis festivis diebus factum esse pariter e locis supra citatis apparet. Neque inde, quod in liturgiis ipsis sermo raro commemoratur, colligi potest, eum extra missarum solemnia fuisse habitum. In multis liturgiis de lectionibus quidem mentio fit, imo fere in omnibus, minime autem ubique ac semper de sermone iisdem conjungendo. Praedicatio enim evangelii praecipuum episcoporum munus erat: vi divini praecepti illis incumbebat, annuntiare evangelium omni creaturae; ut huic officio satisfieret, opus non erat adhuc ecclesiae praecepto. Quare nec in liturgicis libris de eo amplius mentionem fieri opus erat. Ratio cur id factum sit, omnino aperta est. Nam lectione s. scripturae pronuntiata fere necesse erat expositionem ejusdem fieri, cujus ope infideles ad fidem attraherentur, catechumeni erudirentur et fideles illuminarentur ac confirmarentur. Quae cum ita sint, non est mirandum, cur tam raro in liturgiis ipsis sermo ab episcopo vel presbyteris habendus commemoretur. Conciones autem plerumque infra missarum solemnia fuisse habitas ipsi adhuc sermones, qui vespere fieri solebant, testantur. Quemadmodum enim liturgiae sacrae non semper etiam adlocutio seu concio jungebatur: ita nonnunquam extra missarum solemnia episcopi vel presbyteri sermones ad populum habere solebant. S. Augustinum et s. Chrysostomum nonnunquam bis eodem die verba ad populum fecisse sermones ab ipsis habiti testantur [19]). S. Chrysostomus, vehementissimus animarum zelator, non solum mane, verum etiam horis pomeridianis sermones ad populum habere solebat. Sed multi hanc consuetudinem veluti novam improbabant. Hucusque igitur mane tantum Constantino-

---

[19]) S. Augustinus enarratione in Ps. 86 verbis: „Quod restat, si placet, servemus, quia longus est psalmus, et adhuc vobiscum aliquid in nomine Christi sumus acturi; reficite vires non dico animi vestri, nam video quod animo infaticabiles estis, reficimini ac refecti a cibis redite“, terminata, concionem sequentem exorditur: „Ad reliqua psalmi, de quo in matutino locuti sumus, animum intendite et pium debitum exigite“.

Digitized by Google

poli sermones fieri moris erat [20]). Minime ergo dubitandum est, quin praedicatio evangelii insignis aliqua pars publici divini cultus fuerit, qua opitulante auditores vel ad fidei professionem praepararentur vel in ipsam missam fidelium quasi introducerentur.

Sermones autem isti nequaquam more graecorum ac romanorum oratorum elaborati et explanati erant, ut varia nomina, quae iisdem in monumentis christianis tribuuntur, indicant. Quemadmodum enim s. apostolus Paulus non in sublimitate sermonis aut sapientiae testimonium Christi populis ac gentibus annuntiabat: ita et successores apostolorum minime in persuasibilibus humanae sapientiae verbis praedicabant, sed in spiritu et virtute Dei [21]). Quare eorum sermones a Tertulliano „adlocutiones" vocantur. Praedicator evangelii totus in eo erat, ut populum doceret, aedificaret et exhortaretur. Oportet enim episcopum esse doctorem [22]). Doctoris officium est, ait s. Petrus Chrysologus, lecta disserere, et mysticis obscurata sensibus lucido adstruere et demonstrare sermone [23]). Dum vox „διδασκάλια" seu „doctrina", qua ad concionem significandam ss. patres utuntur, magis finem populum edocendi et in rebus fidei ac morum erudiendi respicit, vox „tractatio" et „disputatio", quae etiam passim in monumentis antiquis occurrit, magis demonstrationem et expositionem veritatis christianae argumentis fulciendae et adversus inimicos ejusdem defendendae sicuti denique vox „παράκλησις" modum sermonis exhortativum animis auditorum flectendis idoneum insinuat [24]). Quum autem methodus ac ratio, qua id fiebat, familiari dicendi generi maxime conveniebat et praesertim ad populi intelligentiam accommodata erat: hinc sermones isti „ὁμίλιαι" vocabantur [25]).

---

[20]) „A mensa, ait orat. I. de Lazaro t. 5. p. 34. edit. Front., non ad lectum, sed ad deprecationem vertamur, ne brutis animantibus simus magis bruti. Novi fore multos qui damnent ea quae nunc dicuntur veluti quae novam quandam et miram consuetudinem invehant concionandi. At ego magis damnabo pravam consuetudinem, quae nunc obtinuit" etc. Alio loco conqueritur, quod tam pauci ad concionem confluxerint et increpat eos, quos pudebat quodammodo post mensam sermonibus adesse, dicens, non consuetudine ad spiritualia accedendum, sermoni spirituali omne diei tempus idoneum esse neque nocte ingruente eum impediri; hom. 10 in Genesin t. 2. p. 79. Cf. quoque Ferrarii de ritu sacrarum ecclesiae veteris concionum, lib. 3, c. 18, et 21.

[21]) I. Cor. II. 1—4.

[22]) I. Timoth. III. 1. 2.

[23]) Serm. 52.

[24]) Augustin. tract. 89. in Joann.; confess. lib. 5, c. 13. Gregor. M. in Tobiam, 5. 2. Constit. apost. supra cit.

[25]) Ferrarii de vet. conc. l. 1. c. 4 et sq.

Digitized by Google

A multis rogatus, ut psalmum centesimum decimum octavum iis explicaret, s. Augustinus respondit: „statui autem per sermones id agere, qui proferuntur in populis, quos Graeci „„ὁμίλιας““ vocant“ [26]), i. e. per tractatus populares, quibus aut lectionem totam aut aliquam ejusdem partem familiari sermone auditoribus exponere praedicatores tendebant.

Quamvis oratores ecclesiae christianae hoc temporum spatio degentes tam eloquentia quam sapientia elucerent, a profano tamen dicendi modo longe abhorruerunt, et ipsius s. Chrysostomi orationes, ut Photius observat, homiliis tamen similes magis erant quam sermonibus, secundum leges rhetorices magna cum industria exaratis [27]). Quapropter s. Gregorius M. artem docentium praecipue in eo positam esse affirmat, ut in auditorum suorum mentibus prius studeant perversa destruere et postmodum recta praedicare, ne bonum sanctae praedicationis semen plena malis corda non capiant [28]). „Praedicatores, docet s. pontifex, rudibus debere populis nec alta nimis de coelestibus nec tamen terrena praedicare; non in undatione scientiae sed moderata praedicationis distillatione rudes fovendos esse, ut auditorum infirmitas doctorum rore nutrita convalescat“ [29]).

Certum igitur est ac perspicuum, conciones plerumque missarum solemniis fuisse conjunctas et homileticam quoque fuisse formam concionandi praedominantem.

Restat adhuc de loco, e quo sermones haberi solebant, disserere atque eruere, num jam primis ecclesiae seculis de pronao in sensu supra allegato mentio fiat. Ex altiori ecclesiae loco conciones haberi semper et ubique mos erat, quo facilius ab omnibus verba praedicatoris audirentur. Cathedra sive θρόνος saepe et fere plerumque erat locus, e quo episcopi populo evangelii doctrinam annuntiabant. Attamen nonnunquam etiam ex altaris gradibus verbum Dei praedicaverunt. S. Chrysostomus interdum propter auditorum multitudinem ambonem, qui lectionibus tantum faciendis inserviebat ascendit, ut scripturas populo explanaret [30]). Iste autem locus praedicationis, qui sub nomine

---

[26]) August. in prooem. enarr. in Ps. 118.

[27]) Augusti: Archäologie, t. 6. p. 253. recte discernit inter orationem et sermonem; illi respondet vox graeca λόγος, huic ὁμιλία.

[28]) Lib. 18. Moral. c. 8.

[29]) Lib. 17. Moral. c. 14.

[30]) Ferrarius lib. 3 c. 6—9. simul annotat, in ecclesia Mediolanensi constanti saeculorum successione, festis ac dominicis praesertim diebus adhortationes

Digitized by Google

cathedrae, sublimis sedis, sacerdotalis sedis, sublimis speculae apud patres occurrit, „ideo altior est episcopis — sunt verba s. Augustini — ut ipsi superintendant et tanquam custodiant populum. Nam et graece quod dicitur episcopus superintentor interpretatur, quia superintendit, quia desuper videt. Quomodo enim vinitori altior fit locus ad custodiendam vineam: sic et episcopis altior locus factus est, et de isto alto loco periculosa redditur ratio, nisi eo corde stemus hic, ut humilitate sub pedibus vestris simus et pro vobis oremus, ut qui novit mentes vestras, ipse custodiat, quia nos intrantes vos et exeuntes possumus videre. Tamquam vobis ex hoc loco doctores sumus, sed sub illo uno magistro in hac schola vobiscum condiscipuli sumus“ [31]). Ambo autem iste, cui tempore medii aevi in Gallia etiam nomen „pronai“ datum est, his prioribus saeculis maxime lectionibus et promulgationibus inserviebat. Quum decimo tertio circiter saeculo pro cathedra infra bematis sive presbyterii cancellis circumdati limites posita suggestum concionibus habendis destinatum ad parietes ecclesiae transferretur: ambo sive pulpitum non solum ad promulgationes verum etiam ad populares sermones sive homilias faciendas usurpari coepit, ita ut conciones seu orationes proprie sic dictae in isto suggesto, breves autem scripturae sacrae expositiones, proclamationes et preces in hoc ambone sive pronao ante navim ecclesiae saltem in Gallia haberentur [32]). Locus concionum etiam „tribunal“ sive „pulpitum“ vocatur, „quod, ut ait Walafridus Strabo, sit in publico statutum, ut qui ibi stant, ab omnibus videantur“ [33]). Quare s. Cyprianus in epistola ad clerum et plebem de Celerino lectore ordinato ait: „Quid aliud quam super pulpitum, i. e. tribunal ecclesiae oportebat imponi, ut loci altioris celsitate subnixus et plebi universae pro honoris sui claritate conspicuus legat praecepta et evangelium Domini, quae fortiter et fideliter sequitur“ [34]). Tribunal autem dicebatur, quod quemadmodum tribunal locus erat excelsus, e quo jus tribubus reddebatur, ita concionum locus in sublimi positus erat, ut commodius ex eo evangelica lex po-

---

intra missarum solemnia proxime post evangelii recitationem ex ipsis altaris gradibus fieri solitum esse.

[31]) Enarr. in ps. 116.

[32]) Ab istis cancellis vox germanica „Kanzel“ derivatur; cf. Gerberti liturg. allem. p. I. disq. 3. c. 1. Augusti. l. c.

[33]) De exordiis et incrementis rerum ecclestic. B. M. P. t. 15. p. 181.

[34]) Epist. 34 edit. Baluz. ep. 48 et 33.

Digitized by Google

pulo traderetur [35]). Ambo igitur sive pronaus jam proprius homiliarum et promulgationum ac precum communium locus est more in Gallia saltem usitato, dum sic dictae orationes seu conciones in suggesto habentur, quamvis hoc verbum saepe etiam pro ambone usurpatur.

Quodsi his omnibus praemissis rem totam breviter colligamus, exinde patet, a primis ecclesiae incrementis usque ad tempora s. Gregorii M. conciones missarum solemniis conjungere semper fere ac ubique morem fuisse. Episcopi aut etiam presbyteri ab ipsis missi lectiones pronunciatas populo explanare solebant. E loco excelso plebi evangelium praedicaverunt, quo praedicationis auctoritas et excellentia designaretur; omnes tamen noverunt se unum magistrum habere et sub illo condiscipulos esse; nec ideo magistros, esse quia de loco superiore loquantur, sed unum magistrum esse omnium, qui habitet in omnibus. Confluxere autem populi ad ecclesias casta celebritate, honesta utriusque sexus discretione, ut audirent quam bene hic ad tempus vivere deberent, ut post hanc vitam beate semperque vivere mererentur. Spectaculum sane pulcherrimum! Salvator mundi per os ministrorum quos ipse elegit plebi e monte excelso evangelizat mysteria et praecepta divina; atque in dies augetur multitudo credentium, infideles poenitentiam agunt et per baptismum ecclesiae aggregantur, plebs tota aedem fere angustam reddit, intra sacra adyta penetrans ac irrumpens, et qui intus non admittuntur, apum in modum locum externum in vestibulo implent. En populum ad pedes episcopi provolutum, ardentissimo verbi divini desiderio impletum, en pastorem bonum, oves ad pascua coelestia ducentem easque vitae aeternae pabulo nutrientem [36]).

---

[35]) Ferrar. l. c.

[36]) Cf. Augustin lib. 2 de civit. dei; Gregor Nyssen. or. de s. baptism. Gregor. Nazianz. in insomnio de Anastasiae templo, quod ipse Constantinopoli fixit totam quam ecclesia concionandi tempore adumbrat faciem ita depingit:

Sede alta, haud alta considere mente videbar,
  Nam neque per somnum mente superbus eram.
Presbyterique graves sellis utrimque sedebant
  Demissis, aetas lecta ducesque gregis.
Vestibus in niveis at stabat turba ministra,
  Splendorem referens agminis angelici.
Plebs vero propius cupiens accedere partim
  Circa suggestum fusum erat instar apum.
Pars sese veniens ad limina sacra premebat.
  Auribus approperans, approperansque pede.

Digitized by Google

§. 4.

Romanorum imperio, quondam terra marique gentium dominatore, in disjecta membra soluto, nationes barbarae regni vasti provincias occupaverunt. Mox et dulcis evangelii lyra auribus earundem insonuit, mentes feroces mitigavit et suavi religionis christianae jugo subjecit. Etsi eloquentiae christianae fluvius ob temporum asperitatem exaruisse videbatur, saltem non eadem qua priori tempore profunditate animos irrigabat: flumen verbi divini tamen minime evanuerat. Medii quoque aevi temporibus viri tam scientia quam morum probitate animique magnitudine repleti, gentibus evangelium annuntiarunt et innumera hominum millia per baptismum in ecclesiae gremium susceperunt. Imo et principes ac reges evangelii propagationem omni qua poterant vi adjuverunt; atque hac in re prae omnibus eminet Carolus Magnus, scientiarum et disciplinae ecclesiasticae fervidus promotor. Capitularia ab ipso et ejus successoribus edita, concilia ab episcopis et prudentia et vitae sanctitate conspicuis habita praecipue diligentem ac sollicitam praedicationem evangelii sacerdotibus inculcant. Sic statuit capitulare episcoporum: „ut omnibus festis et diebus dominicis unusquisque sacerdos evangelium Christi populo praedicet“ [1]).

Has autem conciones rursus ut primis ecclesiae saeculis plerumque missarum solemniis fuisse conjunctas, jam ex eo colligere possumus, quod iste mos semel in ecclesia receptus et per tot saecula sanctificatus hucusque partem insignem publici divini cultus constituerit nec ulla ratio adfuerit, ob quam ab

---

Multifidique urbis vici, foraque omnia rursum
Mittebant alias ad mea dicta greges.
Denique virginei coetus, matronae et honestae
E tectis aures ad mea verba dabant. Edit. et vers. Billii. p. 1309.

[1]) Apud. Hard. t. 4. p. 957. cap. 4. Capitulare quoddam Caroli M. praecipit: „ut ipsi sacerdotes unusquisque secundum ordinem suum praedicare et docere studeat plebem sibi commissam“; lib. I. cap. 166 apud Hard. t. 4. p. 956. Capitulare Ludovici Pii episcopos monet, „ut sive per se sive per vicarios pabulum verbi divini sedulo populis annuntient, quia ut ait b. Gregorius iram contra se occulti judicis excitat sacerdos, si sine praedicationis sonitu incedit“; cap. I. c. 28 apud Hard. t. 4. p. 1218. Concilium autem Moguntinum sub Carolo M a. 813 habitum statuit: „si forte episcopus non fuerit in domo sua, aut infirmus est, aut alia aliqua causa exigente non valuerit, nunquam tamen desit diebus dominicis aut festivitatibus, qui verbum Dei praedicet juxta quod intelligere vulgus possit“; apud Hard. t. 4. p. 1014. can. 25. De iis quae populo praedicanda sint fusius tractat capitulare Aquisgran. a. 789 ibidem p. 843, c. 82.

Digitized by Google

illo recedendum esset. Ubi primum sacerdotes coeperunt munus hoc tam grave negligere, capitularia regum et canones conciliorum eos exhortabantur ad officia sua serio implenda. Cumque ob temporum injuriam literarumque inopiam multi scientiarum minus periti essent, collectiones e patrum homiliis factae sunt, quibus ad populum erudiendum uterentur. Inde homiliaria originem duxerunt. Verum ipsa verba quae in istis passim occurrunt, „post illa", scilicet verba evangelii, haud obscure indicant, hanc lectionem homiliarum aeque ac evangelii lectionem missarum solemniis fuisse conjunctam. Id etiam homiliae ipsae ex operibus Sanctorum desumtae insinuant. Sola autem homiliarum lectio minime sufficere poterat, cum maxima audientium pars eas non intelligeret. Hinc illa conciliorum hujus temporis statuta, quae praecipiunt, ut episcopi easdem homilias in linguam vernaculam transferre studeant [2]). Hoc autem verbum praedicationis sive per episcopos sive per aliquem vel aliquos ex ministris ecclesiae fideliter doctis tam in urbe quam foris in plebibus ita fieri debet, ut omnino eis admonitio et exhortatio salutaris deesse non possit: quia ubi verbum dei fidelibus non ministratur, quid aliud quam vita animae subtrahitur [3]). Episcopi igitur magnam de animarum salute curam agentes etiam per medii aevi tempora praedicationem evangelii ac instructionem populi summopere promovere innitebantur.

Homilias vero in conciliis praescriptas rursus infra missarum solemnia fuisse habitas, non solum exinde sequitur, quod talis hucusque ecclesiae consuetudo erat, sed etiam documenta perspicua id testantur. Praeter Caesarii Arelatensis testimonium jam §. 3 allegatum id quoad saeculum octavum testatur capitulare Theodulphi, episcopi Aurelianensis, statuens, „ut missae peculiares diebus dominicis ante secundam horam celebrentur, ne populus a publicis solemnitatibus, i. e. a missarum solemniis et praedicatione quae hora tertia canonice fierent, abstrahatur" [4]).

---

[2]) Concilium Moguntinum sub Rabano c. 2 et Turonens. III c. 17. statunnt: „ut quilibet episcopus (habeat) homilias continentes necessarias admonitiones, quibus subjecti erudiantur; et ut easdem homilias quisque aperte transferre studeat in rusticam romanam linguam aut theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere, quae dicantur." Hard. t. 5. c. 2. p. 8. et t. 4. c. 17. Concilium Remense II. similiter statuit: „ut episcopi sermones et homilias sanctorum patrum, prout omnes intelligere possint, secundum proprietatem linguae praedicare studeant." Hard. t. 4. p. 1019.

[3]) Conc. Valent. III. c. 16. apud. Hard. t. 5. p. 94.

[4]) Apud Hard. t. 4. p. 922 et 924, ubi etiam haec admonitio occurrit, ut omnes ad s. matrem ecclesiam missarum solemnia et praedicationem audi-

Digitized by Google

Probat eandem rem concilium Aurelian. apud Ivonem decernens: „ut in diebus dominicis vel festis post sermonem inter missarum solemnia habitum, plebem sacerdos commoneat, ut juxta apostolicam institutionem omnes in commune pro diversis necessitatibus preces fundant ad Dominum“ [5]). Ordines romani idem statuunt [6]). Denique hunc ecclesiae morem fuisse testantur viri illustres, qui a saeculo nono usque ad tempora Innocentii III. in exponendis rebus liturgicis multimode versati sunt [7]).

In ecclesia igitur occidentali celeberrimi illi viri, quorum vox quondam intima hominum corda penetraverat et qui tanta eloquentia quanta gravitate ac vi verbum divinum praedicaverant, hisce temporibus in homiliis suis populum docere et aedificare pergebant et sermones ipsi saepe nil aliud erant nisi praelectiones et expositiones istarum homiliarum, quae e scriptis ss. patrum erant selectae. Concilia enim allegata earum translationem in linguam vernaculam decernunt, ut auditores eas etiam intelligere possint.

Attamen undecimo abhinc saeculo modus ac ratio praedicandi mutationem aliquam passa est. Nam hucusque sermones plerumque tantum intra ecclesiarum parietes haberi et missarum solemniis innecti solebant; jam vero saepenumero sub dio, in plateis vel in montibus, pratis ac locis campestribus vox evangelica aures multorum millium personabat. Inter omnes autem eminet ac primum locum tenet s. Bernardus, cujus eloquia

---

turi conveniant. Testatur s. Audoïnus in vita s. Eligii scribens, eum inter missarum solemnia, evangelica juxta morem lectione expleta, divina populo praedicasse mandata, apud Mabillon. liturg. gall. l. 1. c. 5. Alia adhuc testimonia allegat Gerbertus in liturgia sua allemannica, ubi simul locum liturgiae s. Germani a Martenio editae commemorat, ex quo apparet „omelias sanctorum pro sola praedicatione positas esse, ut quidquid propheta, apostolus vel evangelium mandaverit, hoc doctor vel pastor apertiori sermone populo praedicaret.“

5) Cf. Bona de rebus liturg. lib. 2. c. 7.

6) Ord. rom. VI. n. 7. praecipit, ut post osculum evangelii pontifex ad praedicationem per manus presbyteri et archidiaconi perducendus sit. Romanos pontifices etiam re vera inter missarum solemnia sacra verba e suggesto ad populum fecisse exempla ostendunt, quae Georgius in explicatione liturgiae romani pontificis de Leone IX et Alexandro III allegat. Pro Oriente quoad saeculum decimum ejusdem consuetudinis testis est Georgius Arbilae et Mosuli metropolita in libro declarationis officiorum ecclesiasticorum apud Assemanni in bibliotheca orient. t. 3. p. 1. fol. 572.

7) Durandi rationale. l. 4. c. 27. Hildebert. Turon. arch. carmen de officio missae. B. M P. t. 21. p. 164. Gemma animae lib. 1. c. 22. haec habet: deinde, lecto scilicet evangelio, episcopus sermonem ad populum facit. Post haec populus Kyrie eleyson et clerus credo in unum Deum cantant, quia quod diaconus legit et quod episcopus praedicavit, se credere affirmant.

Digitized by Google

melliflua et igne divinae charitatis inflammata totum christianum terrarum orbem impleverunt. Hae sunt causae, ob quas talis praedicandi ratio in consuetudinem quasi veniebat. Europa christiana eo quidem tempore juveni forti ac intrepido similis in aciem prodiit adversus truculentissimum christiani nominis hostem, ut loca sacra salvatoris vestigiis sanctificata ejusque cruore perfusa manibus infidelium eriperet et rursus crucis insigne vexillum ibidem erigeret. Peroratione illa celeberrima summi pontificis Urbani II. in synodo ad Clarum montem facta per duo fere saecula continua crux praedicari non desiit. Omnis sermo jam non tam ad interiora ecclesiae penetralia quam ad externa illa certamina adversus infidelium ingravescentem potentiam immanesque crudelitates respiciebat et principes ac plebem incitabat, ut crucem acciperent et sacro bello sese devoverent. Crucis praedicatio omnem terram personuit, omnes animos occupavit. Hinc evenit, ut conciones ipsae ad extra magis se extenderent neque intra ecclesiae parietes se occludi sinerent. Cumque episcopi ipsi ac presbyteri haud raro pariter crucem assumerent, ut non tantum fervorem cruce signatorum accenderent et sacramenta iisdem administrarent, sed et in acie adversus infideles pugnarent vexillaque christiano exercitui praeferrent, cumque variis mundanis negotiis implicati non omnem de aeterna hominum salute promovenda curam ac sollicitudinem adhibere possent: evangelii praedicatio quoad internum plebis christianae statum reformandum negligi coepit; quare concilium oecumenicum Lateranense quartum sub Innocentio III. decrevit: „Cum saepe contingat, quod episcopi propter suas occupationes multiplices per se ipsos non sufficiunt ministrare verbum Dei populo, maxime per amplas dioeceses et effusas: generali constitutione sancimus, ut episcopi viros idoneos ad sanctae praedicationis officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere et sermone, qui plebes sibi commissas vice ipsorum cum per se iidem nequiverint, sollicite visitantes eas verbo aedificent et exemplo“ [8]). Saeculo autem decimo tertio et quarto fidem catholicam assidua evangelii praedicatione tanta magis nutriri ac foveri opus fuit, quanto amplius et vehementius haeresis Albigensium super provincias Galliae meridionalis se effundere coepit. In profliganda et exstirpanda ista haeresi altera posita est causa, cur praedicatio evangelica rursus majori fervore etiam extra

[8]) Can. 10. apud Hard. t. 7. p. 27.

Digitized by Google

missarum solemnia fieret. Fide orthodoxa apud multos jam periclitante Dei infinita sapientia ac bonitas viros quosdam suscitavit, qui sicut luminaria splenderent in mundo erroribus obnoxio tam animi invicti constantia quam spiritu paupertatis ac cordis simplicitate quique et verbo et exemplo errantes in viam veritatis reducerent, fluctuantes roborarent, lapsos sublevarent. Quemadmodum saeculis praecedentibus episcopi auctoritate graves, scripturis divinis periti et igne charitatis ferventes evangelium universo mundo praedicaverunt: ita nunc ordines fratrum Praedicatorum et Minorum prae omnibus fidem catholicam adversus impetus haereticorum defendendam susceperunt et populum christianum in eadem firmarunt. Rex regum et Dominus dominantium vocavit ss. Dominicum et Fransiscum, qui mundum terrena tantum sapientem ad aeterna erigerent, animos voluptatibus hujus saeculi deditos coelestium desideriis implerent et ipsi Deo omnipotenti rursus gentem sanctam praepararent ac plebem perfectam. Hinc factum est, ut vox evangelica rursus multo crebrius etiam extra missarum solemnia audiretur. Ubicunque error refutandus et fides firmanda erat, ejus tuba insonuit. „Quoniam abundavit iniquitas et refriguit charitas, ait summus pontifex Gregorius IX, ecce ordinem Fr. Praedicatorum Dominus suscitavit, qui non ea quae sua sed quae sunt Christi quaerentes, tam contra profligantes haereses quam contra pestes alias mortiferas exstirpandas se dedicaverunt evangelizationi verbi Dei in abjectione voluntariae paupertatis“ [9]). Ipsorum enim regula erat: „honeste vivere, discere et docere.“ Dum fratres Praedicatores haereses oppugnarent, Fr. Minores praesertim rudi ac indoctae plebi evangelium praedicaverunt. Priusquam s. Franciscus fratres suos in universum mundum emitteret, iis dicebat: „Vocavit nos Dominus non tantum pro nostra sed pro multorum utilitate et salute. Eamus ergo per mundum exhortantes et docentes homines et mulieres verbo et exemplo, ut agant poenitentiam de peccatis suis, ut mandatorum Domini recordentur, quae oblivioni tanto tempore tradiderunt“ [10]). Diebus dominicis et festivis de suis habitaculis exeuntes praedicaverunt in ecclesiis parochialibus evangelium verbi, — nec solum inter fideles semen verbi Dei et rorem doctrinae coelestis consperserunt: verum etiam ad gen-

---

[9]) Cf. Natalis Alexandri historia ecclesiastica edit. Bing. t. 15. p 443 et sq.
[10]) Acta Sanctorum apud Bolandistas. t. 2. Octobr. p. 584.

Digitized by Google

tilium et Saracenorum nationes se conferentes perhibuerunt testimonium veritati [11]).

Aliae adhuc causae fuerunt, quae efficiebant, ut conciones rarius missarum solemniis jungerentur [12]). Hisce enim medii aevi temporibus penes quam plurimos episcopos altum quoque dominium in dioeceses ipsis commissas fuit; fideles nondum ubique parochiae peculiari aggregati vel parochi negotiis secularibus nimis implicati erant; ceterum tota respublica christianae religionis basi fundata erat et imperator Germaniae se advocatum ac protectorem ecclesiae agnovit. Quae cum ita essent, per sacerdotes regulares praecipue evangelium christianae plebi annuntiandum erat. Hinc autem factum est, ut sermones a missarum solemniis separati non tam lectiones divinarum scripturarum more homiletico explicarent quam articulos fidei et legis christianae praecepta ratione ac modo theologiae scholasticae vel mysticae eo tempore vigenti accommodato exponerent. Itaque parochis saepe externum tantum cultum divinum peragentibus evangelii praedicatio et administratio sacramenti poenitentiae a sacerdotibus regularibus plerumque fiebat. Qui cum in ecclesiis ordinis sui dies festos haud minori solemnitate quam ecclesiae parochiales celebrarent, nexus fidelium cum parochis propriis et ecclesia sua matrice multimode solutus est. Quamvis igitur munus praedicationis a multis sacerdotibus magna cum sollicitudine impletum sit et viri prodierint, quorum suggestum a centenis hominum millibus saepe circumdatum esset: proxima tamen animarum cura, quae parochis incumbebat, haud raro neglecta est. Imo nonnulli praedicatorum munere abusi sunt; quare in conciliis provincialibus statutum fuit, ut officium praedicationis non exercerent, nisi ab episcopis licentiam obtinuerint, „quia, ut ait synodus Toletana, incuria praelatorum plures per ecclesias laxatis habenis decurrunt et plebibus varia et ridiculosa exponunt“ [13]). Etiam quoad modum praedicationis per statuta synodalia excessibus quibusdam occurri necesse fuit [14]). Ceterum etiam hac aetate conciones saepe infra missam fuisse habitas

---

[12]) Cf. clariss. Lüftii: Liturgik t. 2. p. 385 et sqq.

[13]) A. 1473 apud Hard. t. 9. p. 1509.

[14]) Conc. Andegav. et Turonens. anno 1448 habita praecipiunt, ut illi, qui praedicandi licentiam acceperint, cujusque status conditionis vel ordinis existant, in cathedris publicis et aliis locis solitis, non autem in erectis ad hanc rem theatris sed locis Deo dicatis verbum Dei praedicent cum omni reverentia et humilitate, cessantibus horridis clamoribus impetuosis manuum elevationibus, excessivis signis et gestibus Hard. t. 9 p. 1344 et 1399.

Digitized by Google

testantur ordines, quos collegit et edidit Martene[15]). Tandem ineunte saeculo decimo sexto cum undequaque haereses ecclesiam perturbarent, plebs christiana diligentiori rursum evangelii praedicatione in fide catholica conservanda erat.

§. 5.

Cum haereses initio saeculi decimi sexti in Germaniae et Helvetiae finibus exortae majores in dies progressus facerent, veram fidem violare, mores corrumpere et disciplinam relaxare non desinerent atque omnia sursum deorsumque verterent: sacrosancta synodus Tridentina in Spiritu sancto legitime congregata et fidem catholicam adversus haereticorum depravationes inconcussam stabilivit et disciplinam ecclesiasticam reparavit; abusus qui irrepserant sustulit, haereses damnavit et praedicationem verae fidei omnibus ad quos spectat severe inculcavit. Hac in re jam praeiverat concilium Lateranense quintum, anno 1512 habitum, concionatoribus praescribens, ut constanter sacrae scripturae mysteria et documenta populis enuntient, non ex privato suo sensu sed juxta sanctorum patrum expositionem, nec ad inanem gloriam et ostentationem, sed ad animarum instructionem et salutem: ne novas revelationes aut miracula non approbata temere enuntient, ne in ecclesiae praelatos invehantur aut in privatam aliquam personam sed populum a vitiis absterreant et ad virtutes informent atque exhortentur[1]). Mox varia provincialia concilia simili modo sollicitam evangelii praedicationem sacerdotibus commendarunt ejusque cum missarum solemniis conjunctionem statuerunt. Concilium Bituricense anno 1528 habitum „decernit, quod rectores ecclesiarum in sacris celebrandis diebus dominicis praedicent plebi praecepta legis, evangelium, aliquid epistolae illius diei aut quod confert ad cognitionem peccatorum et virtutum[2]). Secundum concilii Pa-

---

[15]) De antiqua ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis, p. 290, ubi occurrit sermo, in coena domini facta evangelica lectione a diacono legendus et a presbytero poenitentibus exponendus; missale Arelat. in parasceve concionem crucis adorationi praemittendam statuit p. 362; ordo ecclesiae Suessionens. evangelio cantato sermonem ab episcopo in ambone habendum praecipit, p. 499; cf. p. 98; p. 131, 135 et sqq. p. 190 et sqq. p. 228 et sqq. p. 536 et 122. ubi sermones benedictionibus et processionibus in festo purificationis, ascensionis domini, in capite jejunii, dominica palmarum et in coena domini innectendi in diversis ordinibus praescribuntur.

[1]) Sess. 11. apud Hard. t. 9.

[2]) C. 6 apud Hard. t. 9. p. 1921.

Digitized by Google

risiensis eodem anno habiti decretum „admoneant curati frequenter suos parochianos, ut intersint missae parochiali diebus dominicis et festis per hebdomadam occurrentibus et ut ad illa omnia quae per singulos dies in pronis proponuntur diligenter attendant“ [3]). Jamque hi proni passim in synodis provincialibus Galliae occurrunt. Cum haereses magis magisque ingravescerent, episcopi verae fidei toto corde addicti ac bene intelligentes, erroris progressus sedula praecipue instructione christianae plebis praecaveri posse, omnimodo praedicationem verbi Dei sacerdotibus inculcarunt et in conciliis provincialibus statuerunt, ut sicut etiam in ecclesia antiqua mos erat, lectiones scripturarum populo exponerentur atque prohibuerunt, ne dum concio habeatur, in ea ecclesia missae privatae celebrentur; quin potius hae, ne populus a missa parochiali et ab auditione verbi distrahatur, vel ante vel post verbi praedicationem legantur. Praeterea et de iis, quae populo annuntianda sunt et de modo quo erudiendus est, regulae et normae perutiles in iisdem conciliis praescribuntur [4]).

Postquam complures episcopi clerum ac populum tali modo vere reformare coeperunt, synodus oecumenica Tridentina saluberrimis decretis et paternis admonitionibus fervorem ac studium evangelium praedicandi et morem ecclesiae antiquae missarum solemniis conciones jungendi recuscitavit. Medium enim efficacissimum haereses profligandi et fideles in religione catholica confirmandi patribus visa est evangelii praedicatio, ad quam vivificandam et augendam haec sanxerunt:

1°. Quoad ministros verbi Dei eorumque obligationem huic muneri satisfaciendi.

a. „Omnes episcopos, archiepiscopos, primates et omnes alios ecclesiarum praelatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum sanctum Jesu Christi evangelium“.

---

[3]) C. 12. apud Hard. l. c. Rem eandem praecipit conc. Senonens. c. 11 ibidem p. 1953.

[4]) Cf. conc. Colon. I. p. 6 et 7. apud Hard. t. 9. p. 1997 et sqq. conc. Mogunt. a. 1549 habitum, ibidem p. 2114. conc. Trevirens. eodem anno celebratum apud Blattau: statuta synodalia archidioec. Trevir. t. 2. p. 168. conc. Augustens. a. 1548. c. 18. apud Hard. t. 9. p. 2040. statuens, ut evangelia vel epistolae dominicis et festis diebus in parochialibus ecclesiis populo sive ante sacrum sive sub eo, sive etiam a prandio, quod tempus epistolae declarationi non incommodum videretur, lingua germanica exponantur: eoque tempore nulla alia missa, ne populum ab auscultatione distrahi contingat, celebretur.

Digitized by Google

b. „Archipresbyteri quoque, plebani et quicunque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quocunque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis".

c. „Si vero contigerit episcopos et alias praedictos legitimo detineri impedimento, juxta formam generalis concilii viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi praedicationis officium salubriter exequendum" [5]).

d. „Praedicationis munus, quod episcoporum praecipuum est, cupiens sancta synodus quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri — mandat, ut in ecclesia sua ipsi per se, aut si legitime impediti fuerint, per eos, quos ad praedicationis munus assument, in aliis autem ecclesiis per parochos — sacras scripturas divinamque legem annuntient" [6]).

Synodus igitur rursum praedicationem evangelii „praecipuum episcoporum munus" declarans vult, ut et per semetipsos huic officio, christianae reipublicae tam necessario, statisfaciant. Episcopis tanquam successoribus apostolorum facta est missio: „Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae". Verbi ministerio apostoli quoque praecipue intenti erant. „Non enim misit me Christus, ait apostolus, baptizare, sed evangelizare". Et alio loco: „Nam si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: vae enim mihi est, si non evangelizavero" [7]). Episcopi autem exerceant munus tam praeclarum in ecclesia sua tum per se ipsos tum per alios idoneos viros, in ecclesiis denique parochialibus per parochos. Hi igitur ab episcopo in vineam Domini missi ita se gerant quasi summus pastor per ipsos populo annuntiet divina praecepta [8]).

e. „Nullus autem secularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum contradicente episcopo praedicare praesumat" [9]).

2°. Quoad materiam sacrarum concionum synodus statuit,

---

[5]) Sess. 5 de reform. c. 2.

[6]) Sess. 24 de reform. c. 4.

[7]) Cf. Marc. XVI. 15. Act. VI. 4. I. Cor. I, 17. IX. 16.

[8]) Qui variis dioecesibus hodierno tempore praesunt episcopi non solum ex consuetudine ab apostolicis usque temporibus in ecclesia vigente per epistolas pastorales populum sibi commissum exhortantur, ut in fide corroboretur ac in charitate perseveret: verum etiam in ecclesiarum visitationibus et administratione sacramenti confirmationis nec non ipsis festis solemnioribus viva voce fideles aedificant eosque erigunt ad spem vitae aeternae. Praeclarum sane apostolicae curae pastoralis exemplum.

[9]) L. c. sess. 24. de ref. c. 4.

Digitized by Google

ut praedicatores doceant „quae scire omnibus necessarium est ad salutem“ et annuntient „vitia, quae eos declinare et virtutes, quas sectari oparteat, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant“ [10]).

Porro synodus statuit, ut „apud rudem plebem difficiliores ac subtiliores quaestiones, quaeque ad aedificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur“ [11]). Huic decreto conforme est statutum synodi Trevirensis, quo praecipitur, ut „missi et admissi verbi praedicatores in hoc toti incumbant, ut verbum veritatis recte et bona fide tractent, tanquam dispensatores multiformis gratiae Dei, omissis his, quae a puritate evangelii aliena sunt, vel supervacanea, vel parum aedificantia: sed nec opinabilia ac dubia pro certis et receptis asseverare audeant“ [12]).

3°. Quoad modum concionandi synodus statuit et admonet ut parochi „plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis“ et annuntient eis „cum brevitate et facilitate sermonis“ sacras scripturas legemque divinam [13]).

4°. Quoad tempus conciones habendi statuit, ut id fiat „diebus saltem dominicis et festis solemnibus“, et quidem „omnibus“ etiam „tempore jejuniorum, Quadragesimae et adventus Domini, quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint“ episcopi [14]).

5°. Tandem episcopi mandent „pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis quae in missa leguntur, aliquid exponant atque inter cetera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus saltem dominicis et festis“ [15]).

His saluberrimis constitutionibus et mandatis ubique dioecesium in usum perductis fieri non poterat quin fides catholica in animis religioni jam emortuis revivisceret et adversus haereses undequaque irruentes firmaretur. Summa igitur episcoporum cura fuit, haec synodi Tridentinae decreta in suis dioecesibus etiam exequendi. Omnibus hac in re exemplo splendidissimo

---

[10]) L. c.
[11]) Sess. 25. decretum de purgatario.
[12]) A. 1549. apud Blattau: statut. synod. t. 2. p. 169.
[13]) L. c. sess. 5 de ref. c. 2.
[14]) L. c.
[15]) Sess. 22. cap. 8.

Digitized by Google

praeluxit s. Carolus Borromaeus, archiepiscopus Mediolanensis. Auctoritatem et vestigia concilii Tridentini persecutus non solum evangelii praedicationem sacerdotibus summopere commendavit ac multa praeclara de modo concionandi disseruit et ordinavit, verum etiam decrevit ut sermones inter missarum solemnia potissimum haberentur [16]). Concilia provincialia, synodo Tridentina ad finem perducta, in diversis dioecesibus habita fere omnia statuunt, ut parochi singulis diebus dominicis et festivis intra missarum solemnia sermones quoque ad populum habeant atque aut evangelii et epistolae lectiones explicent aut quosdam fidei articulos vel etiam quaedam morum praecepta christianae plebi exponant. In conciliis gallicanis „proni" ad populum habendi passim occurrunt. Partem autem pronai praecipuam ut jam §. 1. audivimus, instructiones populares constituunt eo a sic dictis concionibus seu sermonibus discrepantes, quod non e suggesto ecclesiarum nostrarum, sed ex ambone ecclesiae antiquae, seu ante cancellos, i. e. ante navim ecclesiae habentur et familiari ac peculiari modo lectiones scripturae divinae illustrant et captui populi accommodant [17]).

Praeterea „ut fidelis populus ad suscipienda sacramenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, praecipit sancta synodus episcopis omnibus, ut non solum, quum haec per se ipsos erunt populo administranda, prius illorum vim et usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis parochis pie prudenterque, etiam lingua vernacula, si opus sit et commode fieri poterit, servari studeant, — nec non ut

---

16) „Curent episcopi, quod veteris ecclesiae instituti est, sermonem sacramve concionem, ubique intra missarum solemnia potissimum haberi, sive ab illo eodem sacerdote, qui missam tunc celebrat canitve, sive ab alio habeatur; idque praeterea, etiamsi missae sacrificium pro mortuis fiat, nisi sermo aliquando episcopi concessu de mortui laudatione in ecclesia habeatur, qui nullo modo in missa sed ea peracta pronuntietur. Cum vero concionis sermonisve munus in missae sacrificio praestatur, id fiat semper statim postquam evangelium recitatum est, ut ecclesiastici ritus ratio postulat, non in alia missae parte aliove tempore". Concil. Mediolan. IV. p. I. c. 25 apud Hard. t. 10.

17) Conc. Narbon. c. 25 apud Hard. t. 10. p. 452. Conc. Burdigal. c. 20. p. 1357. Remens. stat. 2. p. 471. Camerac. can. 5. p. 580. ibid. conc. Narbon. c. 4. apud Hard. t. 11. p. 6. Concil Aquense t. 10. p. 1560 statuit, ut parochus concionem nullo modo diebus festis intermittat inter missarum solemnia; cf. conc. Bituric. tit. 3. c. 2. p. 1463 ibidem. Juxta concil. Pragensis decretum „cum sacrae concionis sermonisve munus intra missae celebrationem praestatur: id ex antiquo hujus ecclesiae ritu fiat semper statim postquam symbolum apostolorum recitatum est, ante offertorii pronuntiationem".

Digitized by Google

inter missarum solemnia aut divinorum celebrationem sacra eloquia et salutis monita eadem vernacula lingua singulis diebus festivis vel solennibus explanent, eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quaestionibus, inserere atque eos in lege Domini erudire studeant" [18]). Cumque synodus simul statuat, ut saltem dominicis et aliis festivis diebus pueri in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectet, doceantur; Catechismus Romanus parochos monet, ut in exponendo et interpretando evangelio seu quovis alio divinae scripturae loco, quoties sententia explicanda sub unum aliquod quatuor ejusdem capitum cadat, ad illud confugiant atque ita una eademque opera fidelem populum et symbolum et evangelium doceant [19]). Quare in multis conciliis recitatio Symboli apostolici, Orationis dominicae, Salutationis angelicae etc. concione habita praescribitur [20]).

Synodus igitur Tridentina his decretis praedicationem evangelii spectantibus simul morem antiquum inter missarum solemnia conciones ad populum habendi resuscitavit. Ipsi summi pontifices hunc morem retinuerunt [21]). Nonne etiam evangelica lectione modo solemni infra missae sacrificium pronuntiata, addenda est concio et de mirabilibus ac signis, quae in evangeliis leguntur, statim lecto evangelio laicis aliquid est dicendum, quo magis perspiciant scripturas divinas et legem aeternam cognoscant? Nonne alioquin impleretur verbum: Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis? Quis est pastor animarum, qui oves sibi commissas non pascat salutaribus verbis? quis fidelibus non aperiat sensum scripturarum, quis sacras

---

18) Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 7.

19) Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 4., Catech. rom. in prooem. q. 13.

20) Cf. conc. Narbon. c. 25. l. c. Mechlin. a. 1607. apud Hard. t. 10. p. 1949. Simili modo p. Benedictus XIV. in constitut. Etsi minime, a. 1742. de doctrina christiana tradenda emissa statuit, „ut rectores animarum post missam festo die celebratam statim ante aram provoluti, clara et intelligibili voce fidei, spei et charitatis actus eliciant et praeire satagant populo, verba ab ipsis prolata devote reddituro. Christianam enim religionem profitenti maxime necessaria est consuetudo et exercitatio saepius eliciendi dictos actus; hoc autem pacto fideles sensim illos memoriae mandabunt et assuescent nedum festis, sed aliis etiam diebus in hac pia exercitatione versari."

21) Dominicus Georgius ex intimis Benedicti XIV. sacellanis libr. cit. refert, se Clementem XI. e pontificali solio homilias post evangelium inter missarum solemnia habentem non semel audivisse et Benedictum XIII. inter missarum solemnia ex suggestu et ex altaris gradibus, cum ecclesias et episcopos consecraret aut cum sacrarum reliquiarum elevationes fierent, saepe concionantem populari sermone seu vernaculo idiomate vidisse.

Digitized by Google

lectiones diebus dominicis et festivis iisdem non exponat? Nonne ab eo Deo omnipotenti ratio est reddenda pro animabus ipsi concreditis? Plerumque autem sermo missarum solemnis inserendus medium tenet evangelium inter et symbolum; „quia quod diaconus legit et episcopus praedicavit, nos credere affirmamus, ita ut per s. evangelium corde credatur ad justitiam, per symbolum autem ore confessio fiat ad salutem“ [22]). Per hanc symboli professionem populus spondet divina praecepta, a concionatore exposita, se esse servaturum. Omnia enim, ait s. Bonaventura, quae Christus praedicavit et Evangelistae scripserunt, firmiter credere debemus; atque ideo lecto evangelio fit symboli recitatio [23]). Ceterum in diversis dioecesibus hac in re varius etiam usus obtinuit, aliis ante symbolum sermonem habentibus, aliis demum symbolo cantato concionem inchoantibus, ut simul quae credimus praedicatione magis nobis innotescant [24]). Haud multum interest, quicunque mos observetur, dummodo usus ecclesiae antiquae concionem infra missarum solemnia habendi retineatur. Neque tamen hanc consuetudinem tam stricte observandam aut iterum introducendam esse assserimus, quasi nunquam concio etiam alia quadam occasione habenda sit; imo potius facta attenta consideratione et temporis ante synodum Tridentinam praeterlapsi et rerum ac temporum rationum, quae eadem ad finem perducta evenerunt: inde colligere possumus, quibus circumstantiis, ubinam et quando conciones missarum celebrationi innectendae et ab eadem separandae sint.

Quamdiu fidelibus tantum licitum erat sacris mysteriis interesse, praedicatio evangelii quasi vestibulum ecclesiae constituebat atque ita cum missae sacrificio conjuncta erat, ut scripturas praelectas exponeret et veritates religionis christianae auditoribus explicaret. Cum autem omnes fere gentes, quae fines Europae occupaverant, religioni christianae nomina dedissent, illa separatio inter catechumenos et fideles non amplius perstitit; omnes enim ingressi erant in navem ecclesiae; saltem pauci tantum in vestibulo remanserant; hinc medii aevi temporibus cum fides christiana omnium animos implevisset, cum-

---

[22]) Gemma animae l. 1. c. 25. Walafrid. Strabo l. supra cit.

[23]) Expositio missae.

[24]) Secundum rituale Trevirense vel ante vel intra missam parochialem immediate post evangelium vel post credo pro cujuscunque loci consuetudine concio aut sermo familiaris de lege divina fieri potest; p. II. f. 109. Communiter tamen, ut jam Durandus l. c. c. 26 observat, post praedicationem symbolum cantatur, quia fidem praedicatam se tenere ecclesia profitetur.

Digitized by Google

que regimini ecclesiastico etiam in res seculares magna data esset potestas, festorum quidem solemnitates totusque externus cultus divinus magno cum fastu celebratae sunt; vox autem evangelica rarius insonuit. Cum vero fidei integritati morum conversatio saepe non responderet, tuba evangelii iterum quasi in deserto clanguit et gentes e somno peccati excitavit. Tota vero concionandi ratio cetero aevi ingenio in summis theologicis aeque ac in aedificandis splendidissimis templis potentissimo congruit. Extraordinarius quidam fuit praedicandi modus hincque saepe a missae celebratione sejunctus. Verumtamen cum parochi ipsi evangelii praedicationem sacerdotibus regularibus fere totam relinquerent, et instructionem juventutis christianae in rebus fidei et morum valde negligerent, haeresibus saeculo decimo sexto exortis aditus facilior patebat. Jam vero non tam extraordinaria et transitoria evangelii praedicatione, quae vi verborum et concionatorum fervore animos flecteret et peccatores ad faciendam poenitentiam moveret, quam peculiari et continua parochorum praecipue instructione ac exhortatione, qua plebs christiana adversus haereticam pravitatem muniretur, opus erat. Ceterum ista extraordinaria concionandi ratio certis quibusdam temporum circumstantiis valde convenit, verum ordinarium modum minime superfluum reddere potest. Quapropter concilium Tridentinum usum ecclesiae antiquae rursum restituit et mandavit, ut parochi ipsi oves sibi commissas pabulo vitae aeternae pascerent et ut potissimum id fieret intra missarum solemnia. Nam in ecclesia catholica praedicatio evangelii et cultus externus invicem conjuncti sunt; concione animi praeparantur ad cultum divinum reverenter ac devote peragendum, ut scilicet noverint, quae credunt et Deo omnipotenti offerunt. Cum igitur novatores sacrificium missae omnemque fere cultum externum abrogassent, synodus vestigiis primaevae ecclesiae inhaerendo nexum intimum evangelii praedicationis cum missarum solemniis denuo stabilivit. Centrum totius publici divini cultus in ecclesia catholica est viva repraesentatio ac realis commemoratio sacrificii in ara crucis oblati, fieri solita in eucharistico missae sacrificio incruento. Salvator noster per manus sacerdotis pro nobis ac totius mundi salute se offert Patri omnipotenti nosque memoriam perpetuam passionis ac mortis ejus recolentes, in ipso omnem spem nostram reponimus et per ipsius merita vota nostra exaudiri confidimus. In ipso glorificamus Deum, creatorem coeli et terrae, gratias eidem agimus pro

Digitized by Google

universis beneficiis nobis collatis, speramus fore ut in ipso reconciliemur; per ipsum aditus nobis patet ad thronum gratiae; ipse summus pontifex et mediator noster interpellat pro nobis apud Patrem. Quam ob causam totus ecclesiae cultus ab ipso veluti e fonte vivifico effluit et ad eum reducit, per quem vita in omnes corporis venas se effundit. Verumtamen ubi redemptor noster per manus sacerdotis pro nobis se offert, ibi per os sacerdotis etiam ad cor nostrum loquitur mentemque illuminat. Tali modo sacerdotis nostri munus propheticum cum munere sacerdotali conjungendo synodus Tridentina adversus novatores simul declaravit, cultum ecclesiae catholicae neque in sola evangelii praedicatione neque in ritibus mere externis consistere. Sacrificium missae, venerandum ac tremendum fidei catholicae mysterium, est quasi anima totius cultus divini, variis ceremoniis circumdatum, ut mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitentur. Ea enim hominum natura est, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli [25]). Quae quidem quo majorem in hominum animis exserant vim, vivus etiam sermo adjungendus est. Ecclesia igitur catholica nequaquam evangelii praedicationem a publico divino cultu secludit, quamvis ad essentiam sacrificii non pertineat. Ceterum in iis quoque missis, in quibus concio non habetur, per lectiones e sacra scriptura desumtas magisterium salvatoris repraesentatur. Est igitur modus concionandi ordinarius, secundum quem usu in ecclesia perantiquo celebrationem mysteriorum diebus dominicis et festivis faciendam evangelii praedicatio comitatur, quae eorundem vim ac sensum populo exponat, quo quis majori fructu sacris adesse possit. Hi autem sermones publico officio jungendi fideles potissimum respiciunt, per catechesin in fide catholica jam instructos, ut quae nondum didicerint, jam edoceantur et veritates ac leges divinae ipsorum memoriae et animo altius imprimantur.

Praeter hanc ordinariam praedicandi viam alia adhuc est extraordinaria, qua semen verbi divini continuo ad gentes nondum luce evangelii illuminatas feratur, ut et ipsae salvatorem suum agnoscant, vel qua mentes schismatis et haereseos laqueis obstrictae ab erroribus suis revocentur, vel qua homines licet

---

[25]) Conc. Trident. sess. 22 de sacrific. missae cap. 5.

Digitized by Google

quoad statum externum membra ecclesiae tamen per longa temporum spatia ob ignorantiae et peccatorum caliginem eidem alienati exhortentur, ut ad vitam vere christianam resipiscant. Tunc enim vox evangelica potissimum extra missarum solemnia personat; quae praecedat, tenebras dissipet, praejudicia et velamia a cordibus auferat et adjuvante divina gratia veritati christianae introitum praeparet, omnino necesse est. Qua de causa priscis ecclesiae temporibus praedicatio evangelii missam fidelium etiam antecedere solebat. Iis enim casibus praedicatio est necessarium quasi praeambulum, quo animi ignorantiae aut peccati vinculis implicati ad fidem et pietatem christianam perducantur [26]). Verum separatione missae catechumenorum a missa fidelium sublata, sermones quoque non tam primam instructionem ac fundationem in religione christiana quam continuam in eadem confirmationem ac perfectionem respiciunt. Ubi autem fides rursus quasi emortua est aut morum disciplina penitus soluta, extraordinaria concionandi via est ineunda.

Tum quoque sermones extra publicum divinum officium habendi sunt, cum memoria defunctorum oratione quadam funebri celebranda est, omnino tum, cum inter diei festivitatem et missae sacrificium non est nexus [27]).

---

[26]) Huc spectat mandatum synodi Tridentinae sess. 24. cap. 4. de reform. ut tempore jejuniorum, Quadragesimae et adventus quotidie vel saltem tribus in hebdomada diebus sacrae scripturae divinaque lex annuntientur. Hi enim sermones eo potissimum fine habentur, ut fideles peccatis hucusque obnoxii faciant dignos poenitentiae fructus et ad vitam vere christianam resurgant. Huc etiam spectant sermones, qui tempore jubilaei aut missionum a sacerdotibus praesertim regularibus habentur. Talis extraordinaria evangelii praedicatio et exhortatio multum confert ad instaurandam morum disciplinam. Huc quoque spectant sermones, quos Galli „conférences“ vocant. Eo enim tendunt, ut veritates religionis christianae modo temporum rationibus et scientiarum progressibus accommodato explanentur. Denique omnes huc spectant sermones, qui eo fine habentur, ut aut prima evangelii semina in regionibus infidelium spargantur aut vestigia ejusdem fere exstincta resuscitentur. Hinc episcopi nonnunquam concionatores, probitate, doctrina et religionis catholicae fervore praestantes, elegerunt qui parochias peragrarent et fame propemodum eneetas dei oves salutari verbi divini pabulo reficerent. Cf. conc. Burdigal. a. 1583. t. 10. apud Hard. Mediol. I c. 6. Narbonn. a. 1609 et Burdigal. a. 1624. t. 11. apud Hard. Etiam scriptores protestantici distinguunt concionem liturgiae conjunctam (Kultus-Predigt) a sic dicta concione missionaria (Missions-Predigt.) Cf. Studien und Kritiken, 1847. fasc. I. p. 240.

[27]) Si vero habendus sit sermo extraordinarius, velut ad publicandum aliquod jubilaeum, vel pro gratiarum actione ad Deum de aliquo felici nuntio aut publicatione foederis, seu in adventu alicujus maximi principis, vel ex alia quacunque simili occasione, non debet infra missam fieri, sed illa finita, nec tunc petitur benedictio. Idem dicitur, si in missa defunctorum, vel in laudem

Digitized by Google

Sive ergo morem ecclesiae antiquae per tot saecula vigentem, sive tot conciliorum provincialium statuta, sive ss. patrum sententias, sive tandem synodi oecumenicae Tridentinae mandatum respiciamus: semper vestigiis christianae antiquitatis inhaerendo concionis cum missarum solemniis conjungendae retinenda nobis est consuetudo. Mos iste hisce temporibus ideo etiam retinendus est, ne concione a divino cultu separata acatholicis assimilemur et suspicionem foveamus, quasi summa totius religionis in verbo consistat ipsique sacerdotes nil nisi verbi ministri sint; ne etiam mysteria divina ritu solemnissimo celebrantes, quin eadem viva voce populo exponamus, inimicorum accusationem, quod in ecclesia catholica evangelium sub modio positum sit, ipso facto concedere videamur [28]). Utrumque autem conjungendo et fideli populo nexus pulcherrimus evangelii cum sacrificio et toto cultu divino apparet et inimicis ecclesiae adimitur omnis opprobrii causa, quasi in ea ceremoniarum superfluo usu evangelium opprimeretur.

Caput secundum.

Preces communes in pronao ad Deum fundendae.

§. 6.

Ab initiis ecclesiae orationes quoque insignem publici divini cultus partem constituisse, ipsa sacra scriptura jam indicat, referendo, neobaptizatos perseverasse in doctrina apostolorum

---

alicujus magni viri defuncti habeatur; quo casu fit statim, finita missa, antequam fiat absolutio Ceremoniale episcoporum. lib. I. c. 22. lib II. c. 11. Juxta ordinem romanum auctore Paride Crasso apud Martene de antiqua ecclesiae disciplina p. 598 ordinarii sermones, quoniam in cantati evangelii currentis expositionem et in Dei laudem aguntur, sacri vocantur, ideoque nonnisi inter missarum solemnia et post evangelium recitantur. Si qui vero extraordinarii, ut pro pacis, seu victoriae significatione, sive alia causa, aut in laudem alicujus defuncti fiunt, quia sacri non censentur, ideo post missas recitantur.

[28]) Sunt tamen scriptores protestantici, qui abrogationem omnium ceremoniarum et omnino praedominantem vim doctrinae in peragendo cultu externo minime approbent. Cf. Menzel: Literaturblatt. 1847. No. 41. Zu den Mängeln, woran die ganze protestantische Welt leidet, wird hier gerechnet die Verkümmerung des Kultus und der Verfassung unter der Tyrannei der allein vorherrschenden Lehre und Predigt.

Digitized by Google

et communicatione fractionis panis aeque ac in orationibus [1]). Rem eandem confirmat exhortatio s. Pauli, qua obsecrat „primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus“ [2]). Nam de publicis ecclesiae precibus locum hunc accipiendum esse, exinde apparet, quod s. apostolus v. 8 et 9. vult ac praecipit, ut viri orent in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione, similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate. Ceremonia ista manuum elevationis ad publicas orationes pertinet. Cum autem vocabula graeca „*δεήσεις, προσευχάι, ἐντεύξεις*“ idem fere valeant et promiscue usurpentur, cumque hic solum de orationibus pro aliorum salute agatur, omnes diversi modi ac rationes, quibus tales preces et supplicationes fieri possint, per istas voces exprimuntur [3]). Causae, ob quas apostolus has preces pro omnibus hominibus etiam infidelibus, inimicis et persecutoribus fieri vult, sunt sequentes. Primo hoc bonum est et acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Profecto oratio pro omnibus hominibus, etiam infidelibus et inimicis praeclarum quoddam opus et signum magnae charitatis in proximos est; ideo Deo salvatori nostro valde gratum et acceptum. Tali enim orandi studio praecepta redemtoris nostri adimplemus nec non ejusdem vestigia sequimur exemplum, quod nobis reliquit, imitaturi. Sed et Dei voluntati satisfacimus. Desiderio omnium salutis accensi non possumus quin preces ardentes ad Deum fundamus, ut salvi fiant et tenebris infidelitatis adhuc obvoluti ad agnitionem veritatis veniant.

Secundo ad has preces nos commovere debet unitas Dei et mediatoris Dei et hominum. „Unus enim Deus, ait apostolus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.“ Itaque pro omnibus nobis orandum est; nam unus est omnium hominum Deus, creator omnium. In ipso vivimus, movemur et sumus. Non solum Judaeorum Deus est, sed et gentium; quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide et praeputium per fidem [4]). Quum igitur unum Patrem creatorem nos omnes habeamus et unumquemque, sive etiam

---

[1]) Art. II, 42.

[2]) I. Timoth. II. 1, et sqq.

[3]) Cf. cl. Mack: Commentar über die Pastoralbriefe, et Estii commentar. in hunc locum.

[4]) Rom. III. 29, 30.

Digitized by Google

hostis sit, sive alienus, sive infidelis velut proximum amare debeamus, orandum quoque nobis est pro omnibus sine ulla exceptione vel inimicitiarum vel gentis vel religionis. „In omnibus hominibus, ait s. Leo, naturae est diligenda communio“ [5]. Ideoque nobis et orandum est pro omnibus. Ultima tandem causa, ob quam has preces a nobis fieri vult apostolus, in eo consistit, quod unum et mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum habeamus, qui dederit redemptionem semetipsum pro omnibus. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, ut duos, Judaeos scilicet et gentiles, condat in semetipso in unum novum hominem et reconciliet ambos in uno corpore. Cum igitur Christus pro omnibus hominibus redimendis semetipsum dederit, cumque per ipsum accessum habeamus ad Patrem, pro omnium salute nobis quoque orandum est, ut salvi fiant. Has autem preces per Christum ad Patrem fundimus, quoniam ipsius sanguine redemti et ipsi capiti totius corporis tanquam membra conjuncti sumus.

Exhortationem apostoli, ut preces fiant pro omnibus hominibus, etiam ss. patres de publicis ecclesiae orationibus interpretati sunt. S. Chrysostomus id aperte enuntiat, dicens, verba „primum omnium“ idem significare ac in obsequio quotidiano perpetuoque divinae religionis ritu (*ἐν λατρείᾳ τῇ καθημερινῇ*). Addit: „Atque id noverunt fideles, quomodo diebus singulis mane et vespere orationes fundantur ad Dominum, quomodo pro omni mundo et regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt positi, obsecrationes ab ecclesia fiant“ [6]. Preces seu petitiones et gratiarum actiones dominicis solemniis fuisse conjunctas, loci supra §. 3 allegati pariter demonstrant. Has autem preces communes fuisse, s. Justinus ibidem insinuat, dicens, populum emissis ab ecclesiae ministro precibus acclamasse: Amen. Verbis apertis id probant omnes tam orientalis quam occidentalis ecclesiae liturgiae. Apostoli exhortationi obedientes, sacerdotes

---

[5]) Serm. 41.

[6]) Hom. 6 in I. ad Timoth. Varias sacrae liturgiae orationes verbis apostoli exprimi et insinuari putat s. Augustinus, dicens: „eligo in his verbis hoc intelligi, quod omnis vel paene omnis frequentat ecclesia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam quod est in domini mensa, incipiat benedici; orationes, cum benedicitur et sanctificatur et ad distribuendum comminuitur; interpellationes — fiunt, cum populus benedicitur. — Quibus peractis et participato tanto sacramento gratiarum actio cuncta concludit«; ep. 149.

Digitized by Google

ceterique fideles eodem spiritu congregati, cum divina peragerentur mysteria, pro totius mundi salute preces communes ad Deum fundebant.

„In unum convenientibus, ait s. Ignatius, una sit oratio, una precatio, una mens, una spes, in charitate, in gaudio sancto. Unus est Jesus Christus, quo nihil praestantius est. Omnes itaque velut in unum templum Dei concurrite, velut ad unum altare, velut ad uuum Jesum Christum, qui ab uno patre prodit et ad unum reversus est et cum uno perseverat“ [7]). Et in orationibus unitas conservanda est, quoniam omnes eadem fide vivunt, ad eadem sacramenta concurrunt, eundem Deum ac Dominum venerantur, eandem spem vitae aeternae fovent. Una igitur ac communis sit omnium oratio. Cunctis enim fidelibus Christo unitis eadem quoque vota Deo solvenda sunt. „Corpus sumus, ut Tertulliani verbis utamur, de conscientia religionis et disciplinae unitate et spei foedere. Coimus ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus. Haec vis Deo grata est“ [8]). Procul dubio huic orationi communi ardentissimae magna inest efficacia. „Plenissima, ait s. Leo, peccatorum obtinetur abolitio quando totius ecclesiae una est oratio et una confessio. Si enim duorum vel trium sancto pioque consessui omnia quae poposcerint, Dominus praestanda promisit, quid negabitur multorum millium plebi, unam observantiam pariter exequenti et per unum spiritum concorditer supplicanti“ [9]). Quod s. pontifex de communi jejunio asserit, idem valet de oratione communi. „Tunc, ait, fit potentissimus Dei populus, quando in unitatem sanctae obedientiae omnium fidelium corda conveniunt et in castris militiae christianae similis ex omni parte praeparatio et eadem ubique est munitio“ [10]). „Tunc est efficacior sacratiorque devotio, quando in operibus pietatis totius ecclesiae unus animus et unus est sensus. Publica enim praeferenda sunt propriis et ibi intelligenda est praecipua ratio utilitatis ubi vigilat cura communis“ [11]). Idem observat Innocentius I. ad Aurelium Carthaginensem scribens: „communibus et alternis plus agimus orationibus quam singularibus aut privatis“ [12]). Docet quoque

---

[7]) Epist. ad Magnesian. c. 7.
[8]) Apolog. c. 39.
[9]) S. 88.
[10]) L. c.
[11]) S. 89.
[12]) Ep. 10. edit. Constant.

Digitized by Google

s. Cyprianus, „concordiam simul junctam vinci omnino non posse, quidquid simul petatur a cunctis, Deum pacis pacificis exhibere“ [13]). Ad hanc communionem precum etiam s. Basilius saepe exhortatur. „Novi enim, ait, communionem in precibus multum utilitatis afferre.“ In alia epistola scribit: „Ad communionem precum (εἰς κοινωνίαν τῶν εὐχῶν) omnes adjunge. Magnum enim est eorum, qui Deum placare possunt, auxilium, neque haec facere intermiseris. Nam et viventibus nobis in hac carne bona erit adjutrix precatio et inde proficiscentibus idoneum viaticum ad futurum aevum“ [13a]).

Has autem preces communes ab antiquissimis ecclesiae temporibus divino cultui insertas fuisse praeter locos supra allegatos adhuc demonstrant verba s. Cypriani: „Publica est nobis et communis oratio, et quando oramus, non pro uno sed pro toto populo oramus, quia totus populus unum sumus. Deus pacis et concordiae magister, qui docuit unitatem, sic orare unum pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes portavit [14]). Sermo hic est de oratione dominica qua publica et communi oratione, quam insignem cultus divini partem fuisse manifestum est. Ab apostolis autem hunc orandi modum esse traditum, diserte affirmat Coelestinus I. in epistola ad Galliae episcopos scribens: „Obsecrationum sacerdotalium sacramenta recipiamus, quae ab apostolis tradita, in toto mundo atque in omni ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione fungantur apud divinam clementiam humani generis agunt causam et tota secum ecclesia congemiscente postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus, ut Judaeis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut haeretici catholicae fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivae caritatis accipiant, ut lapsis poenitentiae remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis coelestis misericordiae aula reseretur“ [15]). Addit s. pontifex „haec autem non perfunctorie neque inaniter a Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus.“

---

[13]) Ep. 13. ad Cornel. ibidem.

[13a]) Epist. 150 et 174 edit. Maur.

[14]) De oration. dominic.

[15]) Ep. 21. edit. Coustant. cf. etiam Harduin. t. 5. p. 1375. ubi Hincmarus archiepiscopus Remensis Hincmaro Laudonensi haec verba in memoriam revocat.

Digitized by Google

Quemadmodum igitur „ecclesiae praedicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur," atque „eorum, qui ab ecclesia sunt, semita, circumiens mundum universum, quippe firmam habens ab apostolis traditionem, et videre nobis donans omnium unam et eandem esse fidem" — [16]): ita etiam quoad obsecrationes sacerdotales in universa ecclesia catholica juxta eandem traditionem una eademque ratio celebratur. Fidei unitas transit in charitatis unitatem, ita ut lex credendi statuat et legem supplicandi, qua charitas potissimum se manifestet. Quia una fides, ideo etiam una charitas, una supplicationum ratio in toto orbe christiano. „Nos enim sub uno capite, quod est Christus, omnes fratres sumus et unum corpus in Christo" [17]). „Deus unus est, ait s. Cyprianus et Christus unus et una ecclesia ejus et fides una et plebs una in solidam corporis unitatem concordiae glutino copulata" [18]). Haec totius corporis unitas in precibus communibus quoque exhibetur, cum sacerdotibus pro totius mundi salute obsecrantibus universa ecclesia una quasi eademque voce congemiscat, ut omnes a Deo vero et unico adhuc alieni vel ab ecclesiae societate sejuncti ejusdem unitati aggregentur. Secundum exhortationem s. Pauli apostoli ecclesia igitur orat pro omnibus, etiam infidelibus, haereticis et schismaticis. Quapropter s. Augustinus Vitali, dicenti, nos pro iis, quibus evangelium praedicamus, non debere orare, ut credant, sed eis tantummodo praedicare, respondit: „Exerce contra orationes ecclesiae disputationes tuas, et quando audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, et pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, et pro fidelibus, ut in eo, quod esse coeperunt, ejus munere perseverent: subsanna pias voces et dic te non facere quod hortatur, i. e. Deum pro infidelibus, ut eos fideles faciat non rogare eo quod non sint ista divinae miserationis beneficia, sed humanae officia voluntatis" [19]). Has preces ad publicum divinum cultum pertinere et quidem orationes communes esse, ex alia adhuc epistola s. Augustini apparet, in qua consuetudinem ecclesiae hymnos et psalmos canendi adversus

---

[16]) Cf. Irenae. adv. haeres. l. 5. c. 20. n. 1.
[17]) Orosius de liber. arbitr. c. 31.
[18]) Epist. 217. (alias 107.)
[19]) Epist. 217. (alias 107.)

Digitized by Google

Donatistas tuetur, dicens: „Quando autem non est tempus, cum in ecclesia fratres congregantur, sancta cantandi, nisi cum legitur aut disputatur, aut antistes clara voce deprecatur aut communis oratio voce diaconi indicitur? Aliis vero particulis temporum quid melius a congregatis christianis fiat, quid sanctius, omnino non video“ [20]). Idcirco cantus hymnorum et psalmorum, lectio, disputatio seu praedicatio, deprecatio antistitis et communis oratio elementa sunt, quibus missa catechumenorum consistit; hisce enim peractis oblationes demum initium sumunt. Charitatem autem istis orationibus manifestari easque maximae dilectionis argumenta esse affirmat etiam s. Chrysostomus, dicens, nihil concordiae et mutuae voluntati aequiparandum; unum enim hac oratione communi multiplicem fieri et hanc charitatem omnium bonorum causam esse“ [21]).

§. 7.

Commemoratas preces communes post conciones factas esse, s. Justinus loco supra citato jam indicat: dicit enim: tunc, i. e. lectione una cnm admonitione et exhortatione peracta, surgimus omnes et comprecamur. Oratio igitur ipsa communis erat. Etiam constitutiones apostolicae loco supra laudato hanc consuetudinem probant [1]). Nonnunquam ss. patres in fine homiliarum auditores suos ad preces communes excitant vel sermones ipsos orando concludunt [2]). Hanc ecclesiae consuetudinem esse, s. Chrysostomus apertis enunntiat verbis eamque s. Pauli exemplo confirmat [3]).

---

[20]) Epist. 55 ad Januar. c 18. (alias 119.)

[21]) Homil. 58 in Joannem.

[1]) „Deinde, scilicet post presbyterorum et episcopi exhortationes ad populum, cuncti pariter consurgentes et in Orientem contemplantes, egressis catechumenis et poenitentibus orent Deum“. L. 2. c. 57. Cf. l. 8, c. 6—11, ubi singulae orationes recensentur.

[2]) Origenes ad finem homiliae tertiae in Isaiam ita scribit: „Revera abstulit opprobrium Jesus, idcirco surgentes oremus Deum“; et homiliam 39. in Lucam ita concludit: „Quae omnia cognoscentes et quam multa sint regna coelorum, surgamus, precemurque Deum.“ S. Chrysostomus simili modo sermones interdum concludere solet. „Sed jam tempus est, sermonem orando concludere. Orate igitur universi nobiscum, ut adolescentes baptismatis lavacro renovati honeste vitam perducant et ad maturam senectutem perveniant;“ homil. 50. in Math. „μετὰ τὴν παραίνεσιν εὐθέως εὐχή“; hom. 3. de incomprehensibili Dei natura.

[3]) „Vide doctoris benevolentiam. Post admonitionem preces quoque subjungit, non solum sermone, sed etiam in literis. Opus est enim et consilio et precibus. Propterea nos quoque prius consulentes, tunc pro vobis preces

Digitized by Google

Eandem et ecclesiae Africanae fuisse consuetudinem, sermonum quos s. Augustinus habuit, conclusio indicat [4]).

Quoad ordinem harum orationum concilium Laodicenum statuit: „Primo catechumenorum orationem separatim post tractatum episcoporum oporteat celebrari. Quibus egressis orent etiam hi, qui in poenitentia sunt constituti; et post manus impositionem his quoque abscedentibus tunc fideles orare debebunt. Quorum tres orationes fiant: una quidem, i. e. prima per silentium (*διὰ σιωπῆς*), secunda vero et tertia per exclamationes solitas (*διὰ προσφωνήσεως*) expleantur" [5]). Huc accedunt, ut ex liturgiis diversis apparet, preces pro energumenis, quae orationes pro catechumenis subsequebantur. Quamvis omnibus sacerdotum precibus fideles quoque communicent, munera et vota sua in eorum manus quasi reponant, seseque illis commendent: supplicationes a diacono indictae tamen plerumque „orationes communes" appellantur. Cunctis enim precibus pro catechumenis, energumenis et poenitentibus consummatis inchoantur *εὐχαὶ τῶν πιστῶν* et precatione *διὰ σιωπῆς* peracta incipiunt *εὐχαὶ διὰ προσφωνήσεως*, i. e. preces, ad quas fundendas diaconus alta voce populum fidelem exhortatur, dicens: Nemo eorum, quibus non licet, exeat. Qui fideles sumus, flectamus genua. Precemur Deum per Christum ejus. Jamque sequuntur preces pro pace et tranquilitate mundi atque sanctarum ecclesiarum, pro sancta catholica et apostolica ecclesia, pro sancta hac paroecia, pro universo sub coelo existente episcopatu, presbyteris ceterisque clericis, pro recens baptizatis, navigantibus et iter habentibus, pro inimicis, pro iis, qui foris sunt, pro infantibus ac tandem pro omni anima christiana [6]). Ideo autem hae preces *κατ' εξοχήν* „communes orationes" vocantur, quod omnes simul orent et populus singulis quibusque precibus a diacono

---

fundimus, et hoc sciunt, qui sunt sacris initiati mysteriis." homil. 11. inep. I. ad Thessalonic.

[4]) Oratio, qua s. Augustinus sermones concludit, sonat: „Conversi ad Dominum Deum patrem omnipotentem puro corde ei, quantum potest parvitas nostra, maximas atque uberes gratias agamus, precantes toto animo singularem mansuetudinem ejus, ut preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur: inimicum quoque a nostris actibus et cogitationibus sua virtute expellat, nobis multiplicet fidem, mentem gubernet, spirituales cogitationes concedat et ad beatitudinem suam perducat, per Jesum Christum, filium suum. Amen." cf. Ferrarii l. 2. c. 23.

[5]) Can. 19 apud Hard. t. 1. p. 784.

[6]) Constit. apost. l. 8. c. 10. et l. 2. c. 57. ubi oratio pro rege adhuc commemoratur.

Digitized by Google

indictis alta item voce succlamet: κύριε ἐλέησον, Domine miserere; aut etiam: salve et erige nos Deus misericordia tua [7]). His precibus peractis diaconus rursum clamat: ἔγειρωμεθα, surgamus: orantes intenti nos ipsos ac mutuo viventi Deo per Christum ejus commendemus. Tum episcopus vel e presbyteris primus Deum invocat, ut preces prolatae ex voto succedant. Haec invocatio seu ἐπίκλησις etiam παράθεσις sive commendatio vocatur, non alia certe ratione, quam quod fidelium preces Deo commendat episcopus; Latinis vero collectarum vocabulum usitatius est, eo quod sacerdos, qui legatione fungitur pro populo ad Dominum, ea oratione omnium petitiones colligat et concludat [8]).

Revera igitur sunt preces communes istae orationes a diacono, ut communi praecone indictae, alta voce pronuntiatae ac tandem ab episcopo conclusae; sunt vota communia sacerdotum totiusque plebis christianae pro universa ecclesia, pro toto mundo et ejus partibus, pro frugibus terrae, pro sacerdotibus et principibus, pro pontifice ac rege, pro pace universa. Facta autem evangelii praedicatione hae preces ad Deum funduntur, ut semina verbi divini cordibus fidelium altius imprimantur atque in mentibus infidelium dies elucescat et lucifer oriatur, ut pax, per evangelium nobis annuntiata, super universum mundum se effundat; flexis genibus preces funduntur ad significandam et vim supplicationum et supplicantium devotionem ac humilitatem.

Quamvis obsecrationes istae in omni ecclesia catholica secundum apostolicam institutionem celebrentur, in liturgia tamen romana lectiones divinarum scripturarum immediate praecedunt; rursum autem in omnibus tam occidentalis quam orientalis ecclesiae liturgiis canonem praesertim circumdant, quem ea de causa antiqui scriptores etiam „precem“ cognominant. Quo enim propinquiora temporis consecrationis momenta, eo ardentiora quoque sacerdotis ac populi christiani vota pro totius mundi salute ad coelos ascendunt, ut victima salutifera in ara Deo omnipotenti ad impetrandum divinum auxilium oblata, eo satius exaudiri mereantur. Dum liturgiae ecclesiae orientalis preces pro variis personis ac necessitatibus quasi in unum locum congerunt

---

[7]) Cf. Bingham t. 6. lib. 15. c. 2. et Bona lib. 2. c. 4. ubi e liturgia Ambrosiana et codice Fuldensi duae adhuc aliae formulae istiusmodi precum referuntur.

[8]) Cf. Selvaggii antiquitates christianas p. II. lib. 2. c. 1. §. 3.

Digitized by Google

ac cumulant: liturgiae ecclesiae occidentalis eas magis per anni tempora sparserunt, ut quavis missae celebratione omnia ac singula cujuscunque vota specialiter Deo commendarentur. Quare jam in sacramentario Gregoriano complures tales orationes propriae occurrunt [9]). Ceterum „quasi communis quidam totius orbis pater sacerdos est: dignum igitur est, ut omnium curam agat, omnibusque provideat: sicut et Deus, cujus ministerio servit, et fungitur vice“ [10]). Prohibuit quidem ecclesia, ne publice oremus pro excommunicatis; proinde etiam prohibuit, ne sacrificium pro eis directe et expresse offeratur; nam pro iis tantum sacrosanctum missae sacrificium offerri fas est, qui ad corpus Christi pertinent; simul tamen ecclesia illud offert pro totius mundi salute, quamvis solum omnes orthodoxos atque catholicae et apostolicae fidei cultores commemoret. Nulla enim cum iis qui foris sunt nobis ineunda est communio in sacris. Attamen cum sacerdos quotidie pro augmento, unitate et pace ecclesiae offerat, simul et orat pro omnibus nondum eidem aggregatis, saltem indirecte, quatenus scilicet conversione eorum ad fidem catholicam regnum Dei in dies magis propagetur [11]). Praeterea ardentissimis precibus pro universo terrarum orbe ecclesia orat illo praesertim die, quo Salvator factus obediens usque ad mortem crucis mundum Patri reconciliavit. Oratio igitur, quae per ministros ecclesiae in persona totius fidelis populi Deo offertur, vere communis est. In quocunque missae sacrificio celebrando sacerdos orat et offert non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis. Ideo etiam missae ipsae et orationes, quae in iis ad Deum funduntur, vere communes censeri debent, quod a publico ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur; quare hujusmodi orationes etiam alta voce pronuntiantur, ut ad notitiam omnium possint pervenire [12]). Quamvis igitur in liturgia romana preces communes, concione habita ad Deum fundendae, non sunt praescriptae, cunctarum tamen orationum tenor unionem populi christiani cum sacerdote sacra celebrante indicat.

---

[9]) Cf Muratorii liturgiam roman p. II. p. 187 et sqq.
[10]) Chrysost. hom. 6. in I ad Timoth
[11]) Cf. Bellarmin. de controversiis christianae fidei lib. 2 de missa cap. 6.
[12]) Cf. conc. Trident. sess. 22 de sacrif. miss. cap. 2, 6, can. 3. Cf. quoque summam divi Thomae II. 2. q. 83 art 12,

Digitized by Google

Hinc quoque causae nobis elucescunt, ob quas propriae quaedam orationes post sermonem habitum in sacramentariis et ordinibus romanis non reperiantur; sparsae enim jam sunt per totum officium [13]). Tantummodo confessio a diacono facienda ob indulgentias e suggesto publicandas praescribitur [14]).

§. 8.

In Galliae et Germaniae dioecesibus preces communes, concione finita ad Deum fundendae, etiam per medii aevi tempora usque ad hodiernum diem aut lege consuetudinis aut conciliorum decretis retentae vel recens introductae sunt. Hoc nobis testatur expositio missae s. Germani, in qua levitae audita apostolica praedicatione pro populo deprecari et sacerdotes ante Dominum pro peccato populi intercedere jubentur [1]). Concilium Aurelianense supra jam citatum pariter decernit, „ut in diebus dominicis vel festis post sermonem intra missarum solemnia habitum, plebem sacerdos admoneat, ut juxta apostolicam institutionem omnes in commune pro diversis necessitatibus preces fundant ad Dominum, pro rege et episcopis et rectoribus eccclesiarum, pro pace, pro peste, pro infirmis, qui in ipsa parochia lecto decumbunt, pro nuper defunctis, in quibus singulatim precibus plebs orationem sub silentio dicat. Sacerdos vero orationes ad hoc pertinentes per singulas admonitiones solemniter expleat. Post haec sacra celebretur oblatio.“ Tandem in conciliis provincialibus Galliae decimo quinto et sexto saeculo habitis, fere ubique „proni“ occurrunt, quorum partem secundam preces communes constituunt. Quare hae preces

---

[13]) Cf. v. Lüft: Liturgik t. II. p. 46.

[14]) Ceremoniale Episcopotum lib. I. c. 22 et Martene de antiquis ecclesiae ritibus. Synodus Colon. a. 1536 p. VI. cap. 26 et Argentinensis a. 1549 finita concione exomologesin ac publicam peccatorum confessionem praescribunt, ut populus recensita consolatoria imprecatione remissionis per sacerdotem humiliato animo ac toto corde cum eodem accingatur ad fructum dominicae passionis, quae in altaris mysterio commemoratur repraesentaturque participandum. Hinc in multis ecclesiis parochialibus mos obtinuit, sermone habito confessionem generalem (die offene Schuld) deprecandi. En vestigium orationum, quae in ecclesia antiqua post evangelii praedicationem super poenitentes fiebant; cf. cl. Schmid: Liturgik der christkatholischen Religion. Dritte Aufl. II. 156. I. 310.

[1]) Cf. Le Brun t. 3. diss. 5. art. 2. Generaliter idem praecipit capitulare. Caroli Magni, statuens, „ut sacerdotes admoneant populum, ut eleemosynam. dent et orationes faciant propter diversas plagas, quas assidue pro peccatis patimur“; apud Hard. t. 4. lib. I. capit. c. 165. cf. Reginon. can. 190 et 204 apud Hartzhem. t. 2. p. 468.

Digitized by Google

etiam proni sive pronai vocantur; in pronao enim sive suggesto ante navim ecclesiae a sacerdote pronuntiabantur, quemadmodum antiquae ecclesiae temporibus a diacono in ambone indici solebant. Proni igitur sunt preces alta voce pronuntiatae, *εὐχαὶ διὰ προςφωνήσεως*, quarum constitutiones apostolicae mentionem faciunt, sive „communis oratio, voce diaconi indicta", a s. Caesario Arelatensi relata [2]), seu etiam „*τὰ κηρύγματα τὰ ἐκκλησιαστικά*", preces indictae ecclesiae, de quibus s. Basilius loquitur [3]). His precibus a sacerdote una cum plebe christiana auxilia divina super universum orbem implorantur omnesque homines Deo commendantur, illi praesertim, qui nobis praesunt vel qui suffragiis nostris peculiari quodam modo indigent. Hae preces a ceteris in missae sacrificio fieri solitis orationibus eo discrepant, quod lingua vernacula pronuntiantur. Quo enim arctior evadat et permaneat diversarum nationum communicatio fide jam unitarum, divina providentia factum est, ut missarum solemnia saltem in ecclesia occidentali una eademque lingua latina celebrentur. Quodsi ea, quae in missa leguntur, quodsi vota quae in collectis ad Deum funduntur, continua instructione populo exponantur, lingua ipsa non est obstaculum, quin fideles sacerdotis vel potius ecclesiae orationibus se uniant atque ita precum communionem cum universo Christianorum coetu foveant. Tali modo revera apparent fideles una cum parochis toto terrarum orbe eadem fide et charitate conjuncti „tanquam conventus eorum, qui intenti sunt orationibus, habens unam quodammodo vocem communem et unam mentem" [4]). Tum omnis terra vere est labium unum. Praeclarissimum sane spectaculum haec precum communio! Cuncti fideles iisdem linguis loquuntur, sunt quasi unius labii et sermonum eorundem; nemini enim non perspicua est hujus fidei orationis communis mens ac ratio.

„Magna quoque huic multitudini orationis inest vis. Idcirco etiam societate inita Deum precamur, ut vehementius eum ad misericordiam flectamus. Nam cum orantes soli imbecilles simus, per conjunctionem charitatis Deum exoramus, ut nobis postulata concedat. Potes quidem et domi orare solus; sed tantam virtutem non habet oratio, quam ubi cum propriis membris fit,

---

[2]) Homil. 34.
[3]) Epist. 241.
[4]) Clementis Alexandrin. stromat. l. 7. c. 6.

Digitized by Google

quam cum totum corpus ecclesiae unanimiter et una voce preces fundit, sacerdotibus praesentibus ac verba communis coetus offerentibus" [5]). Nam „etsi domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non potest, ut domi tam bene ores, quam in ecclesia, ubi tot patres, ubi clamor felici societate excitus ad Deum immortalem refertur: non pariter exoras, cum solus Dominum obsecras, atque tuis cum fratribus. Est enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copula amoris et charitatis, sacerdotum preces: praesunt enim ob eam rem sacerdotes, ut populi orationes, quae infirmiores per se sunt, validiores illas complexae simul in coelum evehantur" [6]). Quo autem majori devotione, dum in collectis pro communi orbis incolumitate ad Deum preces funduntur, ipsi quoque fideles tanquam hujus sacrae communionis cives suas preces cum oratione publica conjungant, denuntiabunt iisdem concionatores, quid ecclesia Dei eo die potissimum Deum oret ac precetur, ut pariter interea dum sacra aguntur, Deum orent, si non verbotenus, saltem mente [7]). Verumtamen ut haec communio precum sacerdotem inter et populum fidelem se quoque exterius quodammodo manifestet et visibilior evadat, ipsorumque corda igne divinae charitatis accensa se invicem uniendo in eadem vota quasi confluant, non solum ecclesiae collectae ab omni fidelium coetu succlamante Amen rata habentur et confirmantur, sed etiam sic dictae „orationes communes", lingua vernacula pronuntiandae in omnibus fere ecclesiis parochialibus concione habita in consuetudinem venerunt. Sacerdos populusque fidelis una eademque voce totius orbis sollicitudines his precibus commendant Deo omnipotenti et hac ratione tam intra semetipsos quam cum universa ecelesia catholica mutuam unitatem ac charitatem fovent et conservant. Secundum Pauli apostoli admonitionem et ecclesiae per omnia saecula consuetudinem perdurantem hae preces communes fieri debent pro omnibus hominibus, inprimis igitur pro summo Pontifice, communi omnium patre, pro episcopis et presbyteris, pro fidelibus et infidelibus, tum vero etiam pro regibus et saecularibus potestatibus, ut quietam et tranquillam

---

[5]) Chrysostom. homil. 2 de prophetarum obscuritate, ubi etiam preces ipsae a populo communi consensu oblatae commemorantur.

[6]) Chrysost. homil. 3 de incompreh. Dei natura.

[7]) Synod, Colon. a. 1536. c. 22. t. 9 apud Hard. et Moguntin. a. 1549, c. 59 ibidem.

Digitized by Google

vitam agamus in omni pietate et castitate. Exemplum praeclarum christianorum primaevae ecclesiae imitantes „nos quoque precantes sumus omnes pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum et quaecunque hominis et Caesaris vota sunt“ [8]). Omnium angustiae his orationibus quasi in cor Altissimi et in vulnera Crucifixi reponuntur: omnes homines variis miseriis afflictos et auxilio divino egentes charitate fraterna amplectimur et suffragiis sanctorum adjuti per merita Salvatoris nostri opem et consolationem iis imploramus. Quoniam autem unicuique parochiae curae quoque propriae sunt ac necessitates peculiares, ideo praeter universalis illius dilectionis affectum etiam parochianorum ope singulari indigentium, aegrotorum praesertim ac defunctorum commendatio publico communi suffragio fieri solet. Omnis enim parochia est pars totius corporis ecclesiae, quae per pastorem ipsi praepositum cum episcopo dioeceseos et per hunc cum summo Pontifice et universa fidelium societate conjuncta per hanc lacrimarum vallem sub Christo duce peregrinatur ad aeterna tabernacula. Nos enim „multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra“ [9]). Sumus „corpus Christi et membra de membro“, i. e. membra invicem connexa et dependentia; cum igitur simus in hoc corpore commembres, „non sit schisma in corpore, sed id ipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra“ [10]). Quod si quis infirmetur, ceteri cum ipso infirmentur; quod si quis contristetur, tota societas cum ipso contristetur. Fratres enim sunt omnes per lavacrum regenerationis, et Deum patrem vocare possunt. Nonne igitur etiam fraternitas a nobis diligenda est? nonne cum pia confidentia manus a nobis extendendae ad Deum omnipotentem pro fratribus moerore afflictis, nonne preces a nobis fundendae pro universa fraternitate, praesertim pro animabus in purgatorio adhuc detentis? Apostolus quoque admonet: „orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio

---

[8]) Tertull. apolog. n. 30; cf. cl. Binterim: Denkwürdigkeiten, t. 4. p. 2 et cl. Lüft: Liturgik. t. 2. p. 47 et sqq. ubi haec res summa cum diligentia et scientia pertractatur.

[9]) Rom. XII. 5

[10]) I. Cor. XII. 25—27.

Digitized by Google

justi assidua[11])". Nonne cum oratio fieret sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro Petro carcere incluso soluta sunt vincula et catenae ceciderunt de manibus ejus? Merito igitur supplicationes communes a cunctis parochianis pro fratribus aegrotantibus seu periclitantibus in ecclesia Dei ad coelos ascendunt; merito etiam fideles, vehementi quodam morbo laborantes his precibus se commendant, ut Dei benevolentia ac gratia super ipsos imploretur[12]).

Praeter haec vota communia semper duratura alia adhuc magis transitoria certis quibusdam temporum circumstantiis quodammodo jubentur. Ubi publica quaedam calamitas exorta est, cruenta belli diuturni flagella gentes castigarunt; plagae et lues mortiferae terram inundarunt aut etiam famis et penuriae cruciatibus homines quasi enecari coeperunt; ubi ecclesia catholica undique inimicorum telis percussa et suppressa est vel etiam regnum saeculare perniciosis concussa motibus magna fecit pericula: supplicationes publicae et communes pro avertendis istis flagellis et obtinenda coelitus, quam mundus dare non potest, pace, pro imploranda divina misericordia et ira Dei placanda fieri necesse fuit. Rursum ubi calamitates transierunt et terrae benedictione coelesti impleta copiosa ubertate fruges germinavit, ubi ecclesiae persecutionum ventis agitatae reddita est pax et ejusdem navis ex immoderatis tempestatibus secura et incolumis prodiit, solemnes gratiarum actiones pariter fieri justum et aequum fuit. — Cum saeculo praeterlapso de indicendis his sup-

---

11) Jacob. V. 16.

12) Synodus Argentinensis a. 1549. et Bisuntina a. 1571 habita ipsas precum formulas populo praelegendas referunt, ut hic pro communi necessitate ecclesiae ac reipublicae christianae certae precationi quoque assuescat; apud Hartzhem. t. 6. p. 442 et t. 8. p. 187. Synodus Pragensis, a. 1605 c. 19 statuit: „antiqua et laudabilis hujus nostrae ecclesiae consuetudo orandi in missarum celebratione pro papa, antistite, rege ac regina retineatur; ibidem t. 8. p. 710. et synodus Glacensis a. 1559. similiter: „Communes petitiones pro ecclesia Dei et omnibus statibus (teneant); et pro defunctis post sive ante concionem orare non negligant"; ibidem p. 806. Ad communem pro defunctis orationem finita concione exhortatur quoque synodus Coloniensis a. 1536 habita, cui simul, „cum multum plerumque temporis, parvo cum fructu teratur in recensendis singulatim defunctorum nominibus, ubi viritim pro quolibet exigitur una oratio dominica, idque interdum non citra suspicionem vel quaestus vel ambitionis fiat: — potius videtur, ut populus ad communem pro defunctis orationem pie ac devote dicendam accendatur, et hae genealogiae intermittantur"; apud Hartzhem. t. 6. p. VI c. 27. Verumtamen mos iste jam in ecclesia antiqua viguit; nam in missarum solemniis nomina pie defunctorum e diptychis recenseri solitum fuit.

Digitized by Google

plicationibus controversiae inter potestatem ecclesiasticam et saecularem exortae fuerint, papa Benedictus XIV. propriam ea de re emisit constitutionem, secundum quam:

1. Tales supplicationes statuere atque indicere ecclesiasticam auctoritatem unice spectat, cum nulli saeculari potestati fas sit, decernere praeceptoque mandare, ut publice preces fiant, sive ad persolvendas Dei gratias pro beneficio aliquo accepto, sive ad illius opem in gravi aliqua necessitate implorandam; nam ad ecclesiasticam quidem, non autem ad saecularem potestatem pertinet, de ecclesiasticis ac spiritualibus rebus disponere.

2. Episcopi tamen eo tendere debent, ut aequitatis jure rectoque ordine omnino procedatur, utque tum ipsi tum alii opera eorum Deum sedulo rogent pro incolumitate ac felicitate principum saecularium; aequo libentique animo accipiant, quod potestates saeculares ab ipsis petant, ut pro se publicae preces fiant; haec enim praxis semper in ecclesia viguit.

3. Si laicalis aliqua potestas usu vel consuetudine aliqua (quae abusus revera dici debet) praesumat auctoritatem episcopalem in hoc minime agnoscere, sed jure suo directe velit publicas preces indicere, immo et poenam parere renuentibus statuere audeat, cum Osio, episcopo Cordubensi jura ecclesiastica tueantur [13]).

4. Palam principibus saecularibus faciant: hanc nullatenus esse rationem exorandi Deum, atque id, quod cupiunt, consequendi; ad ipsos episcopos confugere eos debere, qui licet ex hominibus assumpti, tamen sint pro hominibus constituti in iis quae sunt ad Deum.

5. In statuendis talibus supplicationibus publicis operam dent, ut ecclesiae formulae in illis usurpentur, neque novae, aut inusitatae orationes in missa recitentur [14]).

---

[13]) Ecclesiasticae libertatis vindex ad Constantium Imperatorem haec scripsit: „Ne te rebus misceas ecclesiasticis neu nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concedit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat, ita metue ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias. Reddite, scriptum est, quae sunt Caesaris, Caesari et quae sunt Dei, Deo.“ Athanasii histor. Arian. ad Monachos. t. I. p. 370. edit. Maurin.

[14]) Cf. Bullarium M. t. 16. p. 154. Huc spectant preces et oblationes, quae pro Anglia ad unitatem ecclesiae reducenda in multis dioecesibus introductae sunt. Huc quoque spectant preces, quas Reverendissimus Dominus Episcopus noster Guilelmus in epistola sua pastorali a. 1845 emissa post sermonem

Digitized by Google

Tantummodo restat, ut episcopi statuant, num preces cum missarum solemniis conjungendae, an propriae supplicationes ac processiones habendae sint[15]). Quodsi post concionem fundantur, fine earundem prius exposito, orationi communi adnectendae sunt.

Omnes hae preces priscis temporibus in ambone fieri solebant, jam autem in pronao sive suggesto vel etiam ad gradus altaris a sacerdote peraguntur, loco omnino convenienti; nam in hac extrema navis ecclesiae parte olim perigrini commorabantur, e propinquo martyrum sepulcra salutantes, qui, cum illis prohibitum esset, ne presbyterium, ubi corpora martyrum deposita erant, ingrederentur, saltem limina eorum exoscularentur[16]). Simili modo fideles etiam templorum vestibulis osculum figebant; nam „per has portas et januas ingressus est Christus et ad nos ingreditur cum communicamus[17]).“ Quemadmodum igitur offertur Deo apud memorias eorum, quos coronavit, ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exurgat ad acuendam charitatem et in illos, quos imitari possumus, et in illum, quo adjuvante possumus[18]): ita etiam super sepulcra vel limina eorum orationes communes ad Deum fundimus, quo citius suffragiis sanctorum, quorum corpora ibidem recondita sunt, adjuti Dei benevolentia exaudiri mereamur.

„Convenienter enim et quasi pro quodam consortio ibi martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur, scilicet ut qui propter mortem ejus mortui fuerant, sub sacramenti ejus mysterio requiescant“[19]). Quare non solum ordinarias sed etiam extraordinarias preces plerumque missarum solemniis conjungimus: nam in hoc tremendo sacrificio intima

---

habitum in omnibus dioecesis suae ecclesiis parochialibus pro fratribus ab ecclesia catholica separatis unitati ejusdem rursum associandis ad Deum fundendas statuit, ut ob Christi gloriam calumniis et opprobriis undique affectus cum grege sibi commisso secundum salvatoris nostri praeceptum benefaciat his, qui oderint ecclesiam ejusque antistites et oret pro persequentibus et calumniantibus eos. — Huc denique spectant preces, quas Regia Sua Majestas, Fridericus Guilelmus, potentissimus et augustissimus rex noster mensibus praeterlapsis per episcopos pro tempore comitiarum promulgandas curavit: episcopi enim piae regis voluntati annuentes preces usui ecclesiastico conformes praescripserunt.

[15]) Meminerint parochi, nullas extraordinarias supplicationes publicas et solennes fieri licere, nisi interveniente episcopi licentia; cf. Ritual. Trevirens. p. II. fol. 120.

[16]) Pellicia lib. 2. sect. I. cap. 4

[17]) Chrysostom. hom. 30 in II. ad Corinth.

[18]) Augustin contra Faustum l. 20. c. 21.

[19]) Augustin. s. 73.

Digitized by Google

communio cum Christo Salvatore nostro et cum sanctis ab ipso corona gloriae redimitis celebratur. Ipse primus, magnus ac supremus sacerdos, mediator Dei ac hominum pro nobis apud patrem intercedit et preces nostras eidem repraesentat, quae quidem quo majori benignitate a patre suscipiantur, semetipsum pro nobis Salvator offert hostiam immaculatam. „Nonne igitur super hac propitiationis hostia obsecremus Deum, pro communi ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro aegrotis et afflictis et in summa pro omnibus, qui egent auxilio“ [20]? Nonne per ipsum, qui per manus sacerdotis se offert, etiam salus totius mundi apud patrem nobis est imploranda, ac, cum jam super altare descendere dignetur, corde puro et animo sincero eidem commendanda? Nonne ibi quoque suffragia a nobis facienda sunt, ubi victima illa pretiosissima tanquam suffragium Deo gratissimum usque ad consummationem saeculi pro universo mundo ad thronum gratiae interpellat? Nonne etiam bonum atque utile, ad sanctorum orationes opem auxiliumque simul confugere, quo facilius beneficia a Deo per filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum impetremus? Nonne rursum ibi vota nostra communia facienda sunt, ubi sanctorum reliquiae tanquam victimae triumphales cum Christo, capite totius corporis unitae, honoris ac gloriae ejusdem participes fiunt, ubi voces sanctorum, sub mysterio crucis requiescentium simul pro nobis clamant eorumque incensa cum odore suavitatis ad coelos ascendunt? Ad limina sanctorum provoluti non possumus quin quam confidentissime speremus, fore ut tam multiplicatis intercessoribus per merita Christi preces nostrae communes a Deo patre exaudiantur. Ideo etiam loco, in quo preces ad Deum funduntur, earum devotio augetur ac communio fovetur [21]; cumque nulla alia sacra actioue nisi missae sacrificio haec unio cum Christo Salvatore et sanctis per ipsum regnanti-

---

[20]) Cyrill. Hierosol. Catech. Myst. 5.

[21]) Sic beatus papa Coelestinus I. legatos ad synodum apud Ephesum congregatam dirigens patres hortatur, „ut una anima cum uno corde sit cunctis atque secundum vocem Joannis apostoli, cujus reliquias praesentes venerentur, in dilectione permaneant“; addit: „Sit oratio communis ad Dominum. Scimus, quae vis divinae praesentiae sit futura, supplicante concorditer tanta multitudine sacerdotum: quando locus ille moveri potuit, in quo unanimiter duodecim legimus supplicasse“; epistol. 18 apud Coustant. p. 1158 et sq. Hinc etiam visitatio liminum apostolorum tam usitata est. Fieri non potest, quin mens contemplando miro pietatis affectu tam praeclara sepulcra ad coelestia desideria evehatur.

Digitized by Google

bus ac tota ecclesia in terris adhuc militante quam perfectissime repraesentetur: haud facile tales orationes a celebratione missarum separandae, tantummodo acerbiore quadam et diuturnione calamitate exorta litaniae quoque addendae sunt, nisi papa ipse satius duxerit, universali jubilaeo indicendo clementiam divinam super regiones afflictas implorare. „Si enim unius atque alterius precatio tantas vires habet; quanto magis illa, quae episcopi est et totius ecclesiae“ [22]?)

Caput tertium.

Promulgationes ecclesiasticae in pronao ad populum christianum faciendae.

§. 9.

Christus Jesus a Deo hominibus datus fuit non solum ut redemptor, cui fidant, verum etiam ut legislator, cui obediant [1]). Leges autem, quas ipse tulit, universo orbi proclamandae sunt per ecclesiam ab ipso fundatam et ejus vices gerentem, quod quidem fit perenni evangelii praedicatione et expositione. Simul tamen et ecclesiae a Christo data fuit potestas, vi autoritatis, ipsi a supremo pastore concessae, leges ferendi. Nam legislator novi testamenti, auctor legis aeternae et ecclesiae fundator, huic dedit potestatem clavium, ligandi scilicet et solvendi, quae involvit potestatem gubernandi et leges statuendi. Praeterea omnis societas, qualem Christus ecclesiam instituit, hanc potestatem legislativam habere debet; nulla enim sine ea consistere valet. Illam potestatem clavium praeprimis Petro, apostolorum principi Salvator noster tradidit; super Petrum qua fundamentum ecclesiam suam aedificavit eique non solum claves coelorum dedit, verum etiam potestatem, pascendi oves et agnos, quae rursum regimen ac imperium includit [2]); quod quidem quo salubriore subditis modo exerceatur, penes ipsum facultas quo-

---

[22]) Epistola s. Ignatii ad Ephesios. cap. 5. Quanta sit ecclesiae universalis precum communionis vis, paucis abhinc annis Hispania afflicta experta est.

[1]) Conc. Trident. sess. 6. can. 21.

[2]) Cf. clar. Eberhardi: de tituli sedis apostolicae usu antiquo et vi singulari p. 88.

Digitized by Google

que leges condendi esse debet, quibus salus totius corporis omni tempore mediis idoneis promoveatur. Hanc autem potestatem a Christo apostolis et praecipue Petro datam ab ipsis etiam revera exercitam fuisse apparet ex actibus et epistolis apostolorum [3]. Varia enim praecepta ab iis emanarunt, a fidelibus custodienda.

Cum ecclesia deficere non possit et religio christiana universo mundo praedicanda semper duratura sit, etiam potestas illa ecclesiae a Christo concessa ad omnia saecula se extendat necesse est, quod adhuc confirmatur constanti ecclesiae agendi ratione, qua successores apostolorum et rursum imprimis s. Petri successor, communis ovium pastor et rector, diversas diversis temporibus, prout expedire judicabant, leges sanxerunt. Praeterea synodus Tridentina declarat, hanc potestatem perpetuo in ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaret [4]. Hoc autem valet de tota disciplina ecclesiastica ubique conservanda et prout diversorum temporum ac gentium rationes postulant, stabilienda per pontificem romanum qua caput totius ecclesiae, cui in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plena potestas tradita est, et per episcopos, quos spiritus sanctus posuit regere ecclesiam Dei. Verumtamen ut leges istae ecclesiasticae, a rectoribus ecclesiae legitima potestate conditae fideles etiam obligent, promulgatione earum opus est. Lex enim, ait D. Thomas, quaedam regula est et mensura actuum secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur; dicitur autem lex a ligando quia obligat ad agendum. Lex igitur imponitur aliis per modum regulae et mensurae; regula autem et mensura imponitur per hoc quod applicatur his qui regulantur et mensurantur: unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent: Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione: unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem [5].

Leges enim instituuntur, cum promulgantur [6]. Promul-

---

[3]) Act. XV. I. ad Thess. IV. 2. I. Timoth. III. 1 et sqq. Tit. I. 7 et sqq.
[4]) Sess. 21 de communione cap. 2.
[5]) I. 2. Summae qu. 90, art. 1—4.
[6]) Decretum Gratian. dist. 4. c. 3.

Digitized by Google

gationes vero hae ecclesiasticae fieri solent in conventibus christianorum et quidem in iis, ad quos visitandos ipsa lege obligati sunt. Tenetur enim unusquisque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei [7]). Populus quoque ab episcopis monendus, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et majoribus festis accedant [8]). Est autem missa parochialis, ad quam audiendam multa episcoporum et conciliorum provincialium decreta in diversis dioecesibus fideles obligarunt. Quamvis synodus Tridentina exhortatione magis gravi quam expresso praecepto visitationem parochialis cultus publici divini inculcet: promulgationes tamen in eodem factae pro omnibus parochianis vim obligatoriam habent, quoniam huic publico cultui adesse ab ecclesia serio admonentur. Ceterum etiam illi, coram quibus lex non promulgatur, ut observat Divus Thomas loco supra citato, obligantur ad legem observandam, in quantum in eorum notitiam devenit per alios, vel devenire potest, promulgatione facta. Neque enim non singulis quoque officium incumbit, leges ipsis necessarias cognoscendi. Facta autem semel legis ecclesiasticae promulgatione in missa parochiali, ea in cunctorum parochianorum notitiam devenisse censenda est [9]). Hanc ab causam legum ecclesiasticarum promulgationes infra missae parochialis solemnia fieri solent et tertiam pronai partem constituunt ipsaeque promulgationes proni sive pronai vocantur.

Quod jam ad istas promulgationes attinet, e vestigio apparet, de legibus tantum ecclesiasticis sermonem esse, latis aut per summum Pontificem pro tota ecclesia, aut per episcopum pro sua dioecesi, vel per concilium universale atque oecumenicum, vel per synodum provincialem episcopi auctoritate congregatam. Leges enim civiles etiam per magistratus civiles promulgari fas est, quoniam non pertinent ad forum ecclesiasticum. Quoad res mixtas quibus statuendis sacerdotium et imperium, auctoritas tam civilis quam ecclesiastica concurrere debent, tum demum leges desuper conditas parochis promulgare licebit, cum per episcopum facultatem hoc faciendi acceperint. Singulis enim episcopis portio gregis est adscripta, quam regat unusquisque et gubernet. Ipsi episcopo hujus gregis cura tanquam primario et principali pastori

---

[7]) Conc. Trident. sess. 24 de reform. cap. 4.
[8]) Concil. Trident. sess. 22 de observandis. et evitand. in celebr. missae.
[9]) Cf. cl. Filser: Katholische Moral t. I. p. 133.

Digitized by Google

incumbit. „Quare, ut ait s. Ignatius, sine episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad ecclesiam spectant“ [10]). Similiter canones apostolorum statuunt: „Presbyteri et diaconi absque sententia et voluntate episcopi nihil peragant: ipse enim est, cui concreditus fuit populus Domini et a quo de animabus eorum ratio reposcetur“ [11]). Quodsi igitur talis lex promulganda sit, nonnisi episcopi licentia et auctoritate fieri potest. Idem valet de promulgatione supplicationum publicarum vel gratiarum actionum, ad quas peragendas potestas civilis parochos fortasse invitat; solum episcoporum est, hac de re ut mere ecclesiastica statuere et preces ipsas praescribere, qui tamen facile voluntati potestatis secularis annuere possunt, cum de salute reipublicae agatur, quin ecclesia quid detrimenti patiatur ejusque canones infringantur.

Nemini non illico evidens ac perspicuum est, tam dignitate sacerdotali quam ecclesiae sanctitate et majestate sacrorum veneranda requiri, ut omnes profanarum rerum promulgationes a publico divino cultu arceantur. Sunt enim parochi sacerdotes altissimi, ministri Dei et dispensatores mysteriorum Dei, praecones verbi divini, rerum coelestium praedicatores. Nemo autem militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Profana et vaniloqua ipsi devitanda sunt. Num ex ipso ore promulgatio legis aeternae procedat et rerum prorsus mundanarum? Non oportet haec ita fieri. Divina et coelestia terrenis negotiationibus non sunt miscenda. Sed et locus, in quo promulgationes faciendae sunt, est divinis mysteriis sacratus, sedes sapientiae, domus orationis, tabernaculum Salvatoris, thronus Dei omnipotentis, sublime divinae majestatis altare. Quaecunque igitur proclamationes forenses ab ecclesia, oleo salutis perfusa et sacrificii tremendi celebrationi dedicata, arcenda sunt. Domum Dei decet sanctitudo. Removenda sunt omnia, quae populum ab orationis et pietatis studio avocare possint nihilque occurrat, quod non reverentiae erga res sacras fovendae conducat. Cum variis in locis templa christiana saecularibus negotiis et promulgationibus profanarentur, episcopi de abrogandis his abusibus magnopere solliciti erant. Jam synodus Trullana omnes

---

[10]) Epistol. ad Trallian. cf. epist. ad Smyrn. c. 9. „Qui clam. episcopo aliquid agit, diabolo servit“

[11]) Can. 32. apud Cotelier I, p. 447. cf. Van Espenii jus ecclesiastic. p. I, tit. 16, cap. 4.

Digitized by Google

venditiones in ecclesiis prohibuit [12]). Concilium Lugdunense secundum vetuit, ne ecclesiae negotiis saecularibus quibuscunque profanarentur, inter alia dicens: „quae divinum turbare possunt officium, aut oculos divinae majestatis offendere, sint ab ipsis prorsus extranea“ [13]). Quousque haec profanatio in quibusdam dioecesibus jam pervenerit, e decreto synodi Aquensis apparet, quo ad purgandam domum Dei his profanationibus sub interminatione divini judicii et poena suspensionis et excommunicationis prohibetur, ne quidquam in sacrificio et in templo nisi sacrum et sanctum dicatur et fiat.

„Indignum nobis visum est, sunt verba synodi, dominicis ac festis diebus de orationis domo negotiationis aut fori saecularis domum fieri. Nam pro populi exhortatione et divini verbi praedicatione coguntur curati sacris operantes, lictorum et praeconum atque etiam publicanorum vices gerere, exactiones vectigalium, venditionum, licitationum et quaecunque mandata saecularium judicum et officiariorum recitare et proclamare“ [14]). Similiter synodus Turonensis praecipit, „ut parochi in pronao tantum res spirituales tractent et nullas rerum profanarum proclamationes faciant“ [15]). Synodus Bituricensis pariter interdicit omnibus parochis et presbyteris, ne res profanas, literas et actus judiciales aut quid simile inter missarum solemnia vel alio quovis tempore in ecclesiis legant, sed id praeconibus et lictoribus relinquant, qui pro foribus ecclesiarum res indicendas, si videbitur, publicabunt: non enim decet sacerdotem secularia negotia tractare [16]). Indecorum videtur, ait synodus Tolosana, profana sacris immiscere, nihil igitur, quod saeculare sit, in pronis, dum missarum sacra peraguntur, publicetur indiceturque [17]). Multa alia concilia non tantum ab ipsis ecclesiis sed etiam a coemiteriis tanquam locis sacris profanas omnes actiones abesse volunt [18]).

---

[12]) Can. 76.

[13]) Can. 25 apud Hard. t. 7. p. 710.

[14]) A. 1585. apud Hard. t. 10. p. 1562.

[15]) Attamen concedit, eas peracta communione publicari, harum tantum rerum, quae contra bonos mores sunt, veluti chorearum, ludorum et similium publicatione omnino interdicta. Post benedictionem, non vero ante, ne profana sacris misceantur, per ipsos rectores ea populo annuntiari vult, quae ad res temporales spectant; apud Hard. t. 10. p. 1404.

[16]) Titul. 23. c. 7. apud Hard. t. 10. p. 1484.

[17]) Cap. 6. apud Hard. t. 10. p. 1802. cf. Camerac. a. 1565. can. 6. cap. 10. ibid.

[18]) Cf. conc. Mechlin. a. 1607. tit. 12. cap. 9 et 10. apud Hard. l. c. Synod. Wratislav a. 1592. c. 9. apud Hartzhem. t. 8. Brixinens. a. 1603

Digitized by Google

Quum synodus Tridentina sacrosanctum missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebrari et omnia quae vel avaritia vel irreverentia induxerit, e medio tolli, item saeculares omnes actiones ab ecclesiis arceri velit, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur ac dici possit: nullo modo rerum profanarum promulgationem a parochis in ecclesia faciendam postulantium votis connivendum est[19]). Talibus enim promulgationibus ecclesia ipsa profanatur; mentes auditorum, pabulo divino nutritae eorumque animi, rerum coelestium desideriis accensi, rursum mundanis his vocibus perturbantur; seria vitae melioris proposita statim refriguerunt et praecepta evangelica iterum oblivioni tradita sunt: irrita igitur praedicationis officia ac cultus divinus factus est quasi saecularis. Procul ergo sunto ab ecclesiae sanctuario quaecunque vana et profana; ecclesiasticae tantum promulgationes in pronao faciendae sunt, praesertim tales, quae sacris solemniis ulla ratione conveniunt.

§. 10.

Ad singulas promulgationes, missarum solemniis plerumque conjunctas jam progressuris, primo nobis obvenit dierum festorum denuntiatio. Quamvis enim vita hominis christiani bonis operibus continuo sanctificanda perenne quoddam sabbatum

---

decernit: „Parochi ex cancellis aut pro coucione, vel in coemiteriis, vel aliis locis sacris, forensia et profana nec ipsi promulgent, nec alios publicare permittant: sed ea tantum, quae sacra et pia sunt et ad cultum Dei et pietatis opera pertinent. Ubi vis infertur, ad ordinarium confugiant"; ibidem Mechlin. a. 1607. tit. 12, cap. 10. Metense a. 1610. c. 5. artic. 19. ibidem. Audomar. a. 1640 tit. 11, c. 9 et 10. Paderborn. a. 1688. tit. 6, n. 5. apud Hartzhem. t. 10. Cf. quoque synod. Namurc. a. 1570. tit. 14, c. 3. Gandav. a. 1571. tit. 17, c. 1. apud Hartzh. t. 7. Sedunens. a. 1626. cap. 6. § 1. Tornac. a. 1643 tit 19. Colon. a. 1662. tit. 12, cap. 7. apud Hartzhem. t. 9. Cf. quoque Rituale Trevir. p. I. fol. 189. et ephemerides: „der Katholik". a. 1846. fascic. 18. n. 112. ubi refertur, hodierno adhuc die in Suecia morem illum vigere, res mere saeculares et profanas post concionem promulgandi. „In Schweden werden nicht allein Gesetze und obrigkeitliche Verordnungen, für deren Abkündigung eine besondere Rangfolge festgesetzt ist, sondern auch Anzeigen von gefundenen, verlorenen und gestohlenen Sachen, so wie Bekanntmachungen von Privatpersonen, z. B. Verkäufe und Auktionen von der Kanzel nach der Predigt abgelesen. Alle Sammlung und Andacht, worin eine tüchtige Predigt den Hörer versetzt, muß durch ein solches Nachspiel verloren gehen". Rerum perturbationes, quibus pagus Helvetius Waadtensis concutitur, pariter eam ab causam exortae sunt, quod praedicatores jussi promulgationes saeculares et politicas in oratoriis facere sibi non licere eadem tali modo profanare declararunt; cf. Ephemerides: Evangelische Kirchenzeitung: t. 40. fascil. 5.

[19]) Conc. Trid. sess. 22 de observ. et evit. in celebr. missae.

Digitized by Google

sit, aliqui tamen praecipui dies ac stata tempora ab omnibus fidelibus ferianda divinisque officiis dedicanda peculiariter instituta sunt. Praeter diem dominicum quavis hebdomade in memoriam praesertim resurrectionis Salvatoris nostri celebrandum ecclesia plures adhuc alios dies festos designavit, quibus mysteria christianae religionis altius fidelium animis imprimerentur simulque praeclara facta redemptionis nostrae annua commemoratione praedicarentur. Sanctorum quoque cum Christo regnantium memorias populus christianus religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem et ut meritis eorum consocietur atque orationibus adjuvetur [1]). Tali modo quovis anno decurrente opus egregium, quod Christus pro salute mundi patravit, in fidelium mentibus reviviscit ac singula ejus momenta solenni celebritate rursus ob oculos eorum veniunt [2]). Adhuc tamen promulgatione harum solemnitatum opus est, qua dies quibus eaedem celebrandae sint, populo christiano innotescant. Hinc ex consuetudine ecclesiastica post sermonem habitum festa populo denuntiantur. Quare jam s. Cyprianus ad clerum Carthaginensem scribit: „Dies eorum, sc. confessorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus“ [3]). Quum autem magnopere sperandum sit, „ut divinae pacis consortio, sicut una fide jungimur, ita una solemnitate feriemur“ [4]): magna de constituendo paschatis die exorta dissensione, oecumenica synodus Nicaena prima decrevit, ut ab omnibus ubique uno eodemque die, dominica scilicet proxime sequente lunam 14. post vernum aequinoctium illucescentem celebretur. Simul in eadem synodo constitutum erat, ut ipsa computatio paschatis huic decreto conformis sub auspiciis episcopi Alexandrini fieret, „quoniam, ut ait s. Leo, apud Aegyptios hujus computationis antiquitus tradita esse videbatur peritia, per quem quotannis dies praedictae solemnitatis sedi apostolicae indicaretur, cujus scriptis ad longinquiores ecclesias indicium generale percurreret“ [5]). Quapropter ab episcopo Alexandrino prius investigatio proxime futuri paschatis diei ac tum propriis epistolis paschalibus annuntiatio ejusdem facta est

---

[1]) Augustin. lib. 20 contra Faustum c. 21.

[2]) Cf. cl. Staudenmaier: der Geist des Christenthums; zweite Auflage p. 8 et sqq.

[3]) Epist. 37.

[4]) Leonis M. epist. 138 ad episcopos Galliarum et Hispaniarum.

[5]) Epist. 121 ad Marcianum Augustum.

Digitized by Google

Pontifici romano, qui deinde universis ecclesiae episcopis eundem promulgavit. Jam pridem hoc in ecclesia occidentali usitatum fuisse ex eo apparet, quod episcopi in synodo Arelatensi a. 314. congregati Romano Pontifici supplicant, ut de celebratione paschae dominici juxta consuetudinem literas ad eos dirigat, ut uno die et uno tempore per omnem orbem observetur [6]). Tandem promulgatio ipsa in singulis ecclesiis sacra Epiphaniorum celebritate sermone habito fieri solebat [7]). Quod nobis testatur concilium Aurelianense IV. a. 541, cui placuit, ut sanctum pascha secundum laterculum Victorii ab omnibus sacerdotibus uno tempore celebretur et haec festivitas annis singulis ab episcopo Epiphaniorum die in ecclesia populo promulgetur. Pariter hoc testatur synodus Antisidiorensis, praecipiens „ut omnes presbyteri ante epiphaniam missos suos dirigant, qui eis de principio quadragesimae nuntient et in ipsa epiphania ad populum indicent“ [8]). Praeter diem paschatis etiam initium quadragesimae annuntiatum fuisse, homiliae paschales ab episcopis Alexandrinis hac occasione habitae enuntiant [9]). Facta tandem saeculo decimo sexto ex Gregorii XIII. pastorali sollicitudine calendarii emendatione ulterius hac annua promulgatione opus quidem non erat: attamen sedis apostolicae praesul qua supremus ecclesiae pastor ac rector quotannis adhuc die epiphaniae festa mobilia universis fidelibus annuntiat [10]).

Praeter hanc annuam dierum festorum promulgationem altera adhuc infra missarum solemnia fieri solet, per quam dies festi proxima hebdomade occurrentes fidelibus denuntiantur, quo

---

[6]) C. 1. apud Hard. t. 1. p. 263. cf. epist. 14. Innocent. I. ad Aurelium Carthag. secundum quam ad unitatem ecclesiae custodiendam mos fuit, ut Pontifex romanus literas de ratione paschatis futuri anni praescriberet.

[7]) Can. 1. apud Hard. t. 2. p. 1436.

[8]) Can. 2. apud Hard t. 3. p. 444.

[9]) Cf. homil. pasch. I. Cyrill. Alexandr.

[10]) Cantato evangelio archidiaconus sive aliquis canonicus vel beneficiatus, aut alius juxta consuetudinem loci ascendet ambonem vel pulpitum et ibidem e vetusto ecclesiae instituto publicabit festa mobilia anni currentis secundum hanc formulam: »Noveritis, fratres carissimi, quod annuente Dei misericordia, sicut de nativitate Domini nostri Jesu Christi gavisi sumus, ita de resurrectione ejusdem salvatoris nostri gaudium vobis annuntiamus. Jamque dies singularum festivitatum recensentur; cf Pontificale Romanum edit. Mechlin. t. 3. Morem eundem publice denuntiandi paschatis sacro epiphaniorum die ecclesia Mediolanensis retinuit; cf. Ferrarii de ritu concionum lib. 1. c. 25. Vestigium quoddam hujus antiquae consuetudinis in literis pastoralibus ineunte Quadragesimae tempore ab episcopis ad dioecesanos suos dirigi solitis remansit.

Digitized by Google

majori devotione celebrentur. Usus enim est in ecclesia perantiquus, talibus praenuntiationibus publicis populum christianum non solum ad festa religiosa pietate celebranda invitandi, verum etiam animos ipsos ad ea praeparandi. Saepe etiam priscis ecclesiae temporibus nulla alia ratione dies festi fidelibus innotescere poterant, quam ut in una solemnitate proxime futurae ipsis promulgarentur. Hujus consuetudinis ecclesiasticae testis nobis est s. Augustinus, oratione communi pronuntiata post sermonem quendam dicens: „Quod novit charitas vestra, suggerimus. Dies anniversarius ordinationis domini senis Aurelii crastinus illucescit, rogat et admonet per humilitatem meam charitatem vestram, ut ad basilicam Fausti devotissime venire dignemini“ [11]). Varia deinde concilia hanc promulgationem dierum festorum praecedente dominica infra missarum solemnia faciendam statuerunt [12]).

Quum autem ecclesia ipsa plebem christianam ad sacra mysteria diebus festivis summa cum religione celebranda inde e primis temporibus ex apostolica traditione jejuniorum observantia praeparaverit, horum quoque promulgatio minime omittenda est; praesertim cum modus ac ratio jejunandi nonnunquam quoad rerum ac personarum circumstantias ab ecclesia mitigetur. Complures tales jejuniorum denuntiationes in sermonibus s. Leonis M. occurrunt; e. g. „Quarta igitur et sexta feria jejunemus: sabbato autem apud beatissimum apostolum Petrum vigilias celebremus: qui et orationes et jejunio et eleemosynas nostras precibus suis dignabitur adjuvare“ [13]). Simili modo s. Augustinus

---

[11]) S. 32 de verbis domini (alias 111). Aliae ejusmodi denuntiationis formulae reperiuntur apud Murator. vetus liturg. I. p. 635, quarum una sonat: »Noverit vestra devotio, sanctissimi fratres, quod b. Martyris illius anniversarius dies intrat, quo diaboli tentationes exuperans universitatis creatori gloriosa passione conjunctus est. Ideoque dominum collaudamus, qui est mirabilis in sanctis suis, ut qui illis victoriae coronam contulit, nobis eorum meritis delictorum indulgentiam largiatur. In illo igitur loco, vel in illa via, illa feria hanc eandem festivitatem solita devotione celebremus«.

[12]) Synod. August. a. 1567. Salisb. a. 1569. Ruremond. 1570. Brugensis a. 1571. Iprensis a. 1577. Audomar. a. 1583 etc. apud Hartzhem. t. 7.

[13]) Serm. I. de jejunio decimi mensis; cf. serm. 2, 4, 5, 6, 7, 8 ibidem, serm. 1, 3, 4, 5, 7, 9 de jejunio pentecostes, ubi eadem promulgationis formula occurrit. Cf. quoque sacramentarium Gelasianum apud Murator. t. 1. p. 698, ubi similes denuntiationum formulae occurrunt; verum istae promulgationes demum post salutationem: »Pax Domini sit semper vobiscum«, annotatae sunt. »Post haec commonenda plebs pro jejunii quarti, septimi et decimi mensis temporibus suis: sive pro scrutiniis vel aurium apertione: sive orandum pro infirmis, vel annuntianda natalitia sanctorum«. Cf. Bona lib. 2. c. 16 et Gerberti

Digitized by Google

dicit: „publice jejunium indicimus et vidente toto populo pariter cum ipso jejunamus“ [14]). Quodsi autem decreta, quibus promulgationes dierum festorum ac jejuniorum praecipiuntur, consideremus, animadvertemus, simplici denuntiatione menti ecclesiae nequaquam satisfieri. Nam eum in finem promulgatio facienda est, ut populo fideli non solum ipsa dies festi sive jejunii innotescat, sed et ratio simul, qua celebranda et observanda sit. Quemadmodum ecclesia per totius anni decursum opera Salvatoris praeclara et mysteria sacratissima redemptionis nostrae perpetua commemoratione pietatis plena veneratur ac celebrat: sic etiam verbi divini concionatores eadem grata memoria praedicare et fidelium animis instillare debent. Quae cum ita sint, fieri non potest, quin cycli festivi ambitus et nexus a fidelibus percipiantur ipsique animis vere christianis dies festos peragant. „Ut autem, sunt verba s. Caroli Borromaei, religiosa animi praeparatione hi solemnes dies a fidelibus colantur, non satis esse putent, concionatores scilicet et parochi, mysteria illa a se sermonibus concionibusve iis ipsis diebus, quibus celebrantur, explicari: sed festis etiam aut dominicis diebus eas sacras vel solemnitates vel actiones proxime praecedentibus, eosdem concionibus instruant, et eorum animos mentesque praeparare atque inflammare studeant, cum ad omnem religiosum mysteriorum, quae sancte agentur, cultum, tum maxime pro solemnitatum ratione ad poenitentiae sacramentum et ad s. eucharistiam sumendam“ [15]). Modo hoc praeparatorio, qui solemnitatem quamcunque in hominum cordibus antecedere debet, per sermonem aperto, jam promulgatio ipsa tanquam apta conclusio totam concionem ad finem perducit, cui proximus sermo festivus lege haud minus convenienti se jungat, ita ut plebs fidelis re vera et ore ac mente cum ecclesia ferietur. Quapropter s. synodus Tridentina pastores omnes obtestatur, ut tanquam boni milites illa omnia, quae sancta Romana ecclesia, omnium ecclesiarum mater et magistra, statuit, quibuscunque fidelibus sedulo commendent, omnique diligentia utantur, ut illis omnibus et iis praecipue sint obsequentes, quae ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus et jejunia

---

vetus liturg. alemannic. t. 1. p. 99 et 385, ubi eadem formula eodem modo usurpatur. At in ordinibus romanis absoluta demum communione pontificis archidiaconus futuram stationem annuntiabat.

[14]) Serm. 60 de tempore, juxta edit. Maurin. serm. 63 app. b. Caesario adscriptus

[15]) Conc Mediolan. III. apud Hard. t. 10. p. 768.

Digitized by Google

vel etiam, quae faciunt ad pietatem augendam, ut dierum festorum devota et religiosa celebratio" [16]). Promulgando igitur dies festos ac jejunia simul pastores doceant populum, „debere unumquemque eo potissimum tempore in divinis officiis et concionibus audiendis frequentem esse, ac in precibus, recolendisque Dei maximis beneficiis assidue versari" [17]). Quotannis die dominico Quadragesimae initium proxime antecedente una cum jejuniorum promulgatione simul finis ac ratio eorundem populo exponantur. „Sunt enim illi quadraginta dies quasi totius anni decima quaedam, quae oblatione jejunii, pro fidelium omnium salute, Deo consecratur" [18]). Quare animarum pastores instruant fideles, quomodo jejunii quadragesimalis a Christo Domino dedicati religiosa observantia ad festa Paschalia se praeparent. Simili modo vigiliarum ac quatuor temporum jejunia promulgantes brevi sermone vim eorumdem populo explicent.

S. Carolus, fervidissimus disciplinae ecclesiasticae restaurator, „non solum die Dominico, illa tempora praecedenti, sed etiam, ubi populus erit frequens, feria quarta proxime sequenti, eo de genere concionem sacram haberi statuit: qua fideles excitati solemnibus his feriis — pro antiquae devotionis consuetudine, frequentiores missae sacro divinisque officiis intersint: orationes, jejunia, eleemosynas, ceteraque pietatis opera praestent." Vult etiam, ut sabbato sub vesperum frequentissimi ad ecclesiam ut piae consuetudinis fuit, conveniant: ubi sanctis precibus, cum pro sacra ordinatione, tum pro his commodis, qnae singulorum annorum revolutione consequimur, omnium bonorum largitori Deo, gratia habeatur, sicut et instituta illorum temporum ratio et christianae religionis cultus deposcit [19]).

Nequaquam tamen ulli pastorum est licitum, pro libitu vel ex propria devotione hoc vel illud festum in sua parochia vel rejicere vel promulgare [20]). Nihil hac in re fieri debet sine licentia et approbatione episcopi qua primarii pastoris et rectoris, cui totius dioeceseos cura principalis concredita est, qui invigilet, ut omnia honeste et secundum ordinem fiant. Quodsi igitur in aliquo oppido locove festa quaedam aut publici voti aut con-

---

[16]) Sess. 25. de delectu cibor. etc.
[17]) Conc. Mediolan. I. p. I. c. 12.
[18]) Conc. Mediolan. I. p. I. c. 7. apud Hard. t. 10.
[19]) Conc. Mediolan. IV. II. c. 6. ubi etiam formula denunciationis occurrit. Cf. quoque Blattau: Statuta synod. t. 3. p. 270. et 260.
[20]) Statuta synod. l. c. p. 193.

Digitized by Google

suetudinis ratione introducta fuerint, episcopi judicio subjacent, cuius est, eadem vel abrogare vel approbare [21]). Saepenumero enim talibus festis extraordinariis populus impeditur, quin dies dominicas et solemnitates ecclesiae universalis recta animi intentione ac fervore debito colat.

Alia adhuc in ecclesia usitata est promulgatio, anniversariorum scilicet dierum, quibus sacrosanctum missae sacrificium pro defunctis celebrabitur.

„Hoc enim, ait s. Augustinus, a patribus traditum universa observat ecclesia, ut pro eis, qui in corporis ac sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur ac pro illis quoque id offerri commemoretur. — Cum vero eorum commendandorum causa opera misericordiae celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis utilia esse post mortem.“ Atque „non parva est universae ecclesiae, quae in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quae Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum“ [22]). Hanc ecclesiae praxin innumera patrum et conciliorum testimonia atque omnes tam orientalis quam occidentalis ecclesiae liturgiae confirmant. Verum non solum eadem, qua quis obierat, die sacrum peragebatur, sed et tertia, septima, trigesima et anniversaria die sacrificium missae pro defuncto offerebatur [23]). Celebretur dies tertius mortuorum in psalmis, in lectionibus et precibus ob eum, qui tertia die resurrexit“ [24]). „Die septimo, ait s. Ambrosius, ad sepulcrum redimus, qui dies symbolum

---

[21]) Conc. Mediolan. III. c. I. apud Hard. t. 10.

[22]) S. 32 de verbis apost. (alias 172) et lib. cura de mortuis.

[23]) In ecclesia orientali praeter diem tertium nonus praecipue et quadragesimus peragebantur. Cf. Pellicia lib. 6 c. 5. apud paganos enim novemdiale sacrificium fiebat. In ecclesia Mediolanensi die quadragesimo pariter sacra peragebantur. Hunc morem exponit s. Ambrosius in oratione de obitu Theodosii dicens: „Ejus ergo principis et proxime conclamavimus obitum, et nunc quadragesimam celebramus, adsistente sacris altaribus Honorio principe: quia sicut senctus Joseph patri suo Jacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ita et hic Theodosio patri justa persolvit. Et quia alii tertium diem et trigesimum, alii septimum et quadragesimum observare consueverunt, quid doceat lectio, consideremus. — Jamque allegat Genes. 50, 2 et Deuteron. 34, 8. Utraque ergo observatio habet auctoritatem, quia necessarium pietatis impletur officium.“ Cf. quoque Alcuini de divinis officiis cap. 50 et 51.

[24]) Constitut. apostol. l. 8. c. 42.

Digitized by Google

futurae quietis est" [25]). Dies trigesimus agitur, „quia planxerunt filii Israel Moisen diebus triginta et consummati sunt dies luctus" [26]). De anniversario autem ait jam Tertullianus: „oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus" [27]); et s. Ambrosius l. c.: „natales dies defunctorum obliviscimur, et eum, quo obierunt diem, celebri solemnitate celebramus." Solemnia ipsa Origenes ita describit: „Convocantur in anniversariis diebus memoriae vel parentum defunctorum vel amicorum, seu quorumcunque, qui in fide discessissent, sacerdotes simul et laici atque in eo coetu primum, quod in fide discessissent, gratulantur et sibi pium et tranquillum exitum quisque precatur" [28]). Quae quidem dies quo majori fidelium concursu ad praestanda defunctis pietatis officia peragantur, eas, ut cunctis innotescant, infra missarum solemnia promulgari oportet. Fraterna enim sunt haec obsequia, quibus animae defunctorum sublevandae sunt. „Curatio funeris, conditio sepulturae, pompa exequiarum, magis sunt (quidem) vivorum solatia, quam subsidia mortuorum. — Nec ideo tamen contemnenda et abjicienda sunt corpora defunctorum, quibus tanquam organis et vasis ad omnia bona opera sancte usus est spiritus." In fide resurrectionis quoque sepulta requiescunt eamque in fine mundi exspectant [29]). Itaque „impleant haec homines erga suos officia postremi muneris et sui humani lenimenta moeroris. Verum illa quae adjuvant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multo pro eis observantius, instantius, abundantius impendant, qui suos carne non spiritu mortuos, non solum carnaliter, sed etiam spiritaliter amant" [30]). Nonnunquam etiam una cum promulgatione dierum anniversariorum ad populum fiat admonitio, declareturque, quibus potissimum modis Dei misericordia pro animabus ambienda sit, sicut interim admoneantur hi, qui funebres pompas ac missas gloriae tantum aucupandae causa instituunt, perdere mercedem suam. Debet quoque plebs doceri, pium esse, quemadmodum ab apostolorum

---

[25]) De fide resurrectionis. Secundum Alcuinum l. c. septenarius numerus propter sabbati sacramentum praecipue quietis indicium est, unde merito mortuis tanquam quiescentibus exhibetur.

[26]) S. Ambrosius orat. cit. de obitu Thuodosii. Cf. Numer. 20, 30. Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus. Deuteron. 34, 8. Moisen fleverunt filii Israel — triginta diebus. —

[27]) De corona milit.

[28]) Commentar. in I. Joann. Cf. Pellicia l. c.

[29]) S. Augustini l. cura pro mortuis. t. 6. p. 516. et seqq. edit. Maurin.

[30]) S. Augustin. s. 172.

Digitized by Google

temporibus ecclesia docuit et observavit, pro defunctis Dominum exorare et eleemosynas in sinus pauperum elargiri atque haec eis prodesse, qui in communione ecclesiae et signo pacis decesserunt et qui cum viverent, haec sibi ut postea possent prodesse, cooperando meruerunt[31]). „Cumque multi pro defunctis cognatis neque orent neque sacrificium expetant, populus simul hac de re diligenter ac pie a pastoribus informandus est, ne animae in Christo defunctorum suffragiis orationum et oblationis Christi fraudentur. Quamvis enim supplicationes faciendas pro omnibus in christiana et catholica societate defunctis etiam tacitis nominibus eorum sub generali commemoratione suscipiat ecclesia, ut quibus ad ista desint parentes aut filii aut quicunque cognati vel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi“: attamen „diligentius faciat haec quisque pro necessariis suis, quo pro illo fiant similiter a suis“ [32]). Caveant tamen parochi, ne, quod pietate adducti suadere debent mortuorum heredibus, ut anniversaria officia illorum causa celebranda curent, id cupiditate impulsi molestius flagitent[33]).

§. 11.

Praecipuam adhuc promulgationum speciem subministrant collectae ecclesiasticae. Publicis enim precibus ac jejuniis eleemosynae quoque adjungendae sunt, quibus ira Dei placanda sit: „Orantes autem, ait s. Cyprianus, non infructuosis nec nudis precibus ad Deum veniant. Inefficax petitio est, cum precatur Deum sterilis oratio“. Verum „cito orationes ad Deum ascendunt, quas ad Deum merita nostri operis imponunt“ [1]). „Raphael quoque angelus paria testatur — dicens: bona est oratio cum jejunio et eleemosyna: quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata. Ostendit orationes nostras ac jejunia minus posse nisi eleemosynis adjuventur, deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum et operum accessione satientur. Revelat angelus et manifestat et firmat eleemosynis petitiones nostras efficaces fieri, eleemosynis vitam de periculis redimi,

---

[31]) Synod Colon. a. 1536. p. VII. c. 28. apud Hard. t. 9.

[32]) Synod. Colon. a. 1549. c. 21. et s. Augustin. cura pro mortuis.

[33]) Conc. Mediol. I. p. I. c. 60. Qui altari deserviunt, de altari quidem etiam vivant; verum pro pauperibus suffragia et sacrificia christiano more sine pretio celebrentur. Ritual. Trevir. p. I. f. 191.

[1]) De oratione Dominica, edit. Baluz. p. 214.

Digitized by Google

eleemosynis animas a morte liberari.“ [2]) Idem asserit s. Leo, dicens: „Efficacissima enim pro peccatis deprecatio est in eleemosynis et jejuniis, et velociter ad divinas conscendit aures talibus oratio elevata suffragiis;“ [3]) Rationem quoque addit: „quoniam qui suum ab inope non avertit animum, cito ad se Domini convertit auditum, dicente Domino: estote misericordes, sicut et pater noster misericors est.“ [4]) Salvator ipse eleemosynas sanctificavit, dicendo: „Quamdiu fecistis uni ex his fratribus minimis, mihi fecistis.“ [5]) Quare collectae pro fratribus egentibus in ecclesia primaeva non solum usitatissimae, verum etiam sicut preces communes et jejuniorcm promulgatio et expositio cum missarum solemniis conjunctae erant. Intima conjunctio orationis communis et eleemosynae cum sacra synaxi eo jam indicatur, quod unicuique nomen „collectae“ inditur. Usum collectarum ipsa scriptura sacra testatur. Fame enim magna urgente, qui erant Antiochiae Christiani, collectas fecerunt et habitantibus in Judaea fratribus per manus Barnabae et Sauli miserunt. [6]) Fideles in Palaestinae regionibus degentes ceteris omnibus majori tribulatione afflicti sustentatione fraterna etiam magis indigebant, cum bonis suis fraudati summam inopiam paterentur. [7]) S. Paulo apostolo exhortante reliqui fratres ipsis subvenerunt atque Macedonia et Achaja collationem aliquam fecerunt in pauperes sanctorum, qui fuere in Jerusalem. [8]) Ubique pauperum memor fuit, collectas pro iisdem indicendo et colligendo; verus in egestate egentium praefectus et procurator mirae singularisque vigilantiae ac curae [9]). Harum collectarum in ecclesia nascente et iam adolescente usum testatur s. Justinus, scribens: „Qui abundant et volunt, suo arbitrio quod quisque vult largiuntur, et quod colligitur, apud eum, qui praeest, deponitur, ac ipse subvenit pupillis et viduis, et iis, qui vel ob morbum vel aliam ob causam egent, tum etiam iis, qui in vinculis sunt, et advenientibus peregre hospitibus, uno verbo omnium indigentium curam suscipit.“ [10]) Uberius

---

[2]) S. Cprian. de opere et eleemosynis p. 238.
[3]) Serm. 16.
[4]) Serm. 17.
[5]) Matth XXV. 40.
[6]) Act. XI. 28. 30.
[7]) Hebr. X. 34.
[8]) Rom. XV. 26.
[9]) S. Chrysost. homil de eleemosyna et collat. t. 5. p. 283. edit. Fronton.
[10]) Apolog. I. n. 67.

Digitized by Google

consuetudinem hanc collectarum describit Tertullianus, dicens: „Modicam unusquisque stipem menstrua die vel cum velit et si modo velit, et si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque et pueris ac puellis, re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis et si qui in metallis, et si qui in insulis vel in custodiis, duntaxat ex causa Dei sectae, alumni confessionis suae fiunt“ [11]). Secundum constitutiones apostolicas aequum est ac praecepto Domini consentaneum, ut fideles iis, qui propter Christum ab infidelibus affligantur, facta secundum proportionem facultatis suae collecta necessaria praebeant; hoc ipsis pro martyrio imputatur [12]). S. Cyprianus exemplo suo splendidissimo hanc praxin confirmat, episcopis Numidiae sestertia centum millia nummorum in ecclesia sua collatione collecta pro redemptione fratrum ex captivitate barbarorum transmittendo [13]). Quae laudabilis consuetudo cum Constantinopoli exolevisset, s. Chrysostomus eam summa cum diligentia restituendam curavit, insignem de eleemosyna et collatione sermonem habendo. Cumque Vigilantius eandem evertere conatus sit, s. Hieronymus tam b. apostoli testimoniis quam perenni consuetudine non solum apud Christianos, sed et apud Hebraeos vigente collectarum usum vindicavit [14]). Tandem hujus consuetudinis ecclesiasticae testis est s. Leo M. in celeberrimis quos de collectis habuit sermonibus, collectarum originem ad apostolicam traditionem ac institutionem reducens [15]). Propriae quoque in ecclesia constitutae erant mensae, etiam arcae, corbonae et gazophylacia appellatae, in quibus pecuniae collectae recondebantur, ut deinde per praepositum sive praesidentem in egenos distribuerentur [16]). Has autem collectas prius indictas et promulgatas fuisse, ex iisdem s. Leonis sermonibus apparet:

---

[11]) Apologetic. c. 39.

[12]) Lib. 5. cap. 1.

[13]) Epist. 60.

[14]) Cf. ea de re Baronii annales ecclesiast. ad annum 44.

[15]) Attamen s. pontifex non de communibus collectis in omni ecclesia fieri solitis loquitur, ut fratres Ballerinii annotant, sed de quadam extraordinaria eleemosynarum collatione, quae ad sustollendas paganorum oblationes profanas in certum quendam diem indicebatur et sequentibus diebus perficiebatur, cumque haec institutio incrementis ecclesiae fuerit fructuosissima, patres eandem voluerunt esse perpetuam.

[16]) Cf. Ferrarii de ritu sacrarum ecclesiae veteris concionum lib. 1. c. 6.

Digitized by Google

„Ventura igitur, ait s. pontifex, dominica dies, collectarum futura est". „Volumus dilectionem vestram tertia feria per omnes regionum vestrarum ecclesias cum voluntariis oblationibus eleemosynarum convenire" [17]). Imo s. Paulus apostolus collectas non solum indixit, sed et ordinavit et praecepit vi auctoritatis a Christo ipsi datae. Ad Corinthios enim scribit: „De collectis autem, quae fiunt in sanctos, sicut ordinavi ecclesiis Galatiae, ita et vos facite" [18]). Non dixit, ait s. Chrysostomus, suasi et consului, sed constitui, quod quidem majorem ostendit auctoritatem [19]). Interea plerumque die dominica hae collectae fiebant, quavis hebdomade vel mense, vel ut angustia quaedam irruens postulabat. „Per unam sabbati, pergit apostolus, unusquisque vestrum apud se reponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non, cum venero, tunc collectae fiant." Verba enim, „per unam sabbati," idem valent ac: prima sabbatorum, i. e. ea dies, quae prima est in hebdomade dierum. Nam ipsa hebdomada sabbatum et singulae dies hebdomadae sabbata vocabantur [20]). Dies igitur dominica ab apostolo pro collectis faciendis adsignata est; et quidem, ut s. Chrysostomus observat, nec temere nec absque causa. „Hoc enim die a labore omni cessatur, relaxatione ac feriis alacrior fit animus et quod multo magis est, innumeris eo die bonis potiti sumus. Nam eo die destructus est infernus, extinctum maledictum...

Haec omnia volens ipse nobis in memoriam referre, diem illum in medium attulit, ipsum in advocatum assumens, qui uniquicuique diceret: Cogita homo quanta et qualia bona accepisti hoc die, quantis malis es liberatus. Spirituali igitur honore hanc diem venerari oportet — indigentes fratres liberalitate facili juvando [21]). Est enim hic dies quasi natalitius totjus humanae naturae ideoque summopere celebrandus. Vult autem, ut die dominico unusquisque domi opes dominicas reponat, atque ita domum suam faciat ecclesiam, arculam gazophylaciam, fiatque ex hoc lex et consuetudo immutabilis. —

Cum de more oblationes fidelium infra missarum solemnia fierent, eaeque saltem quoad partem in pauperes distribuerentur,

---

[17]) Serm. 1, 2, 3, 6 de collectis.
[18]) I Corinth. XVI. 1.
[19]) Homil. 43 in I Corinth.
[20]) Estii commentar. in hunc locum.
[21]) Homil. de eleemosy. et collat. Easdem rationes affert. in homilia 43 in ep. I ad Corinth.

Digitized by Google

aptum omnino ac congruenter collectarum quoque indictio iisdem conjungi poterat. Hinc factum est, ut in hunc usque diem mos non solum promulgationis collectarum, verum etiam ipsarum eleemosynarum collationis tempore sacrificii diebus dominicis et festivis retentus est. Minime quoque haec pia consuetudo est abroganda, prorsus consentanea christianae antiquitati et traditioni. Merito enim ibi membra Christi a nobis temporalia metunt, ubi per Christum nobis bona spiritualia disperguntur. Ubi salvator noster seipsum nobis tanquam donum super omnia dona et holocaustum praeclarissimum largitur, nonne ibi, cum nos ipsi hac splendidissima eleemosyna divites facti fuerimus, a nobis quoque oblationes pro fratribus indigentibus erogandae sunt? „Captivitas enim fratrum, ait s. Cyprianus, nostra captivitas computanda est, et periclitantium dolor pro nostro dolore numerandus est; cum sit scilicet adunationis nostrae corpus unum et non tantum dilectio sed et religio instigare nos debeat et confortare ad fratrum membra redimenda“ [22]). Tum autem praeprimis has collationes pro fratribus ex angustia tribulationum liberandis fieri decet, cum memoria nostrae redemptionis ex infernorum captivitate celebratur et pretium ipsum Patri omnipotenti per manus sacerdotis repraesentatur ad obtinenda nobis bona coelestia. Nonne Christo pro pretio passionis et sanguinis vicem saltem in modicis rependamus? Nonne ibi pauperum solatia Christo offeramus, ubi ipse nos ditat gratiae suae divitiis? Nonne thesauros terrestres fratribus ibi aperiamus, ubi ab ipso immarcessibilis coronae pignus nobis donatur? Mortem Salvatoris nostri grato animo commemorantes non possumus quin per ipsum regio diademate redimiti, ipsum quoqne in pauperibus ornemus vestimentis terrenis, indumenta caelestia recepturi, atque corpore et sanguine ejus refecti, ipsum quoque in egentibus pascamus nec non demus cibum et potum saecularem, cum Abraham, Isaac et Jacob ad convivium coeleste venturi. „Recte autem in egeno et paupere ipsius Jesu Christi Domini nostri persona sentitur, qui, cum esset dives, sic, ut ait apostolus, pauper factus est, ut nos sua paupertate ditaret“ [23]).

Tandem rursum sacerdotibus et praecipue parochis officium incumbit, egentium curam agendi ejusque vices apud divites gerendi. Pauperum quasi legati ac patres sunt, patroni et ad-

---

[22]) Cf. s. Cypriani de opere et eleemosyn.
[23]) Cf. s. Leonis serm. 4 de collectis.

Digitized by Google

vocati viduarum et orphanorum. In manibus ipsorum reposita sunt munera pietatis, quibus indigentium necessitatibus succurrerent. Quarc vestigiis patrum insistendo parochi non cessabunt, cum s. Augustino rogare, monere praecipere ac jubere, ut collectae fiant pro pauperibus.[24]) Neque pro publica tantum et communi causa, verum etiam pro singulari parochiani cujusdam egentis sustentatione privata nonnunquam inter concionandum eleemosynae indictae sunt.[25]) Juxta decretum concilii Mediolanensis quarti tales collectae primo quoque dominico mensis aliove die, quem episcopus statuerit, in omni ecclesia cathedrali et parochiali faciendae erant, ut egentium qui praesertim prae timore ostiatim mendicare non auderent, necessitati pia fidelium liberalitate succurreretur a locupletioribus parochiae incolis. Magna inde ipsis divitibus eveniunt emolumenta spiritualia. Nam „quum dives — praestat pauperi, quae illi opus sunt: pauper orat ad Dominum pro divite, et Deus praestat diviti omnia bona, quia pauper dives est in oratione, et virtutem magnam habet apud Dominum oratio ejus.“[26]) Quo fideles autem et in dando effusiores sint et paratiores ad parochialem ecclesiam cum voluntariis oblationibus veniant, dominica proxime praecedenti eleemosynarum collecta intra missarum solemnia indicanda est.[27]) Exemplum s. Leonis M. hac in re imitantes, parochi fidelibus una cum promulgatione cellectae simul et finem ejusdem ac vim eleemosynarum exponant. Neque pro solis pauperibus sublevandis collectae promulgandae et faciendae sunt. Quovis fere anno necessitates et angustiae quamplurimae oriuntur, quibus communi tantum subsidio occurrendum est.

---

[24]) S. 5. de verbis domin. in Matth. Cf. epist. 215. — „Quidquid vultis, ait s. Augustin. serm. cit., date pauperibus. Non enim occultabo charitati vestrae, quare hunc sermonem necesse habui vobis promere. Ex quo hic sumus, euntes ad ecclesiam et redeuntes pauperes interpellant nos et dicunt, ut dicamus vobis ut aliquid accipiant a vobis. Nos monuerunt loqui vobis: et cum se vident non accipere a vobis, inaniter arbitrantur nos laborare in vobis. Exspectant et aliquid a vobis. Damus quantum habemus, damus, sicut possumus. Numquid tamen ad eorum necessitatem implendam idonei sumus? Quia ergo ad eorum necessitatem implendam idonei non sumus, vel ad vos legati ipsorum sumus. Audistis, laudastis. Deo gratias.“

[25]) Cf. Ferrari lib. 1. cap. 27.

[26]) Hermae Pastor. lib 3. similit. 2.

[27]) Conc. Mediol. IV. pag. III. c. 12 et 13 ubi etiam formula denunciandi collectas occurrit.

Digitized by Google

§. 12.

A publico cultu divino ad sacramentorum administrationem transeuntibus, promulgationes quaedam ad salutarem ipsorum dispensationem spectantes insuper nobis obveniunt, infra missarum solemnia fieri solitae. Ea autem ecclesiae praecepta huc pertinent, quorum annuam promulgationem conciliorum decreta sive episcoporum mandata praescribunt, ne oblivioni tradantur. Prae caeteris huc spectant praecepta disciplinae ecclesiasticae in concilio Lateranensi quarto super annua confessione et communione paschali et super matrimoniis clandestinis et denuntiationibus faciendis lata et in concilio Tridentino innovata. Cum ista decreta maximi sint momenti eorumque negligentia varia incommoda ac mala imo et censuras adducat, cumque observatio eorum multum conferat ad fidelium salutem et ad matrimonii sanctitatem promovendam: in multis dioecesibus annua horum praeceptorum promulgatio ordinata est [1]). Secundum Rituale Trevirense parochus dominicis passionis et palmarum in pronao missae parochialis legat decretum concilii Lateranensis: „Omnis utriusque sexus", ut fidelibus innotescat, quod omnia sua peccata saltem semel in anno proprio sacerdoti confiteantur et suscipiant ad minus in pascha eucharistiae sacramentum. Cum concilium simul statuerit: „siquis alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote," parochi etiam se faciles praebere debeant ad dandam hanc licentiam, ne conscientiarum vim quandam exercere videantur, ita ut confessiones irritae fiant et annihilentur. Minime autem austera quaedam agendi ratio hac in re in parochianos licita est, praesertim cum sedes apostolica declaraverit, eos, qui religiosis simpliciter ab ordinario approbatis paschali tempore confessi fuerint, constitutioni concilii Lateranensis quarti, quae incipit, „omnis utriusque sexus," quoad confessionem satisfecisse censendos [2]). Verum quoad sacramentum eucharistiae sedes

---

[1]) Conc. Mediol. II. tit. 1. decr. 12. conc. Narbon. a. 1551. c. 50. Remens, a. 1583. Burdigal. a. 1583 c. 15. apud Hard. t. 10.

[2]) Constit. Clementis X. 11. Juni 1670. Dum in multis dioecesibus stricta decreti Lateranensis observatio quoad confessionem annuam proprio sacerdoti faciendam adhuc urgetur, in compluribus tamen statutis dioecesanis recens factis licentia generalis fidelibus datur, cuilibet in dioecesi approbato sacerdoti etiam tempore paschali peccata confitendi. Cf. Gousset: théologie morale t. 2. pag. 215 et seqq. et Benedict. XIV. de synodo dioecesana lib. 11. cap. 14 ubi ex

Digitized by Google

apostolica declaravit, illud die festo paschalis resurrectionis in propria parochia christifideles ab eorum parocho sumere debere [3]). Quae eum ita sint, parochis nullo modo licitum est, severitate quadam postulare, ut parochiani ipsis peccata confiteantur; attamen ad unitatem cum ecclesia parochiali ipsoque animarum pastore conservandam simulque ad fidem catholicam solemniter profitendam omnino opus est, ut juxta conciliorum et sedis apostolicae decreta communionem paschalem in ecclesia sua parochiali sumant. Sic enim fiet, ut pastor oves et oves pastorem agnoscant. Quae quidem quovis anno promulganda sunt, quo majori devotione ac religione fideles praeceptis ecclesiae satisfaciant.

Nonnunquam etiam indulgentiae a sede apostolica ratione jubilaei et supplicationum vel ab episcopo in ecclesiarum consecratioue concessae promulgandae sunt, attamen parochi, ne facultatem ipsis hac occasione datam praetergrediantur, fideles simul conditionibus instruant, quibus implendis indulgentias promereri possint [4]). Creberrimae tandem sunt matrimoniorum contrahendorum proclamationes, ob clandestineitatem evitandam multaque mala inde exoritura praecavenda et ob impedimenta, quae forte matrimonium impediunt vel prohibent, eruenda, in concilio Lateranensi quarto et synodo oecumenica Tridentina ab ecclesia praescriptae [5]). Denuntiationes autem matrimoniales sunt notificationes publicae de matrimonio duorum inter se contrahendo, in ecclesia coram populo congregato faciendae, ad hoc, ut si quis aliquod dirimens aut impediens impedimentum inter contrahere volentes sciat, possit adhuc in tempore manifestare [6]). Inde a priscis temporibus moris quidam erat, antequam nuptiae celebrarentur, easdem in ecclesia proclamari, ut jam Tertullianus testatur, dicens: „Penes nos occultae quoque conjunctiones, id est, non prius ad ecclesiam professae, juxta moechiam et fornicationem judicari periclitantur“ [7]). Saltem decere ducentes et ductas cum sententia episcopi unionem facere, ut sit secundum

---

constitutionibus sedis apostolicae demonstrat, fideles annuam confessionem cuilibet ab episcopo approbato sacerdoti faciendo praecepto ecclesiae satisfacere.

[3]) Constit. Clementii VIII. a. 1592. Cf. quoque Rit. Rom. de communione paschali, promulgationem constitutionis concilii Lateranensis tempore Quadragesimae praescribens; Rit. Trevirens. p. I. f. 79.

[4]) Popularem hac de re instructionem subministrat cl. Hirscheri opusculum: „Die katholische Lehre vom Ablasse.“

[5]) C. 51 apud Hard. t. 7. et Trident. sess. 21. de reformat. matrim. c. 1.

[6]) Ferraris prompta bibliotheca s. v. „denuntiationes matrimonii.“

[7]) De pudicitia c. 4.

Digitized by Google

dominum et non secundum concupiscentiam, s. Ignatius jam observat [8]). Verum ista professio sive proclamatio, cujus Tertullianus mentionem facit, hucusque in quibusdam dioecesibus introducta, demum a concilio Lateranensi quarto lege explicita ad omnes ecclesias extensa est. Haec enim synodus specialem quorundam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando statuit, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesia per presbyteros publice proponantur, competenti termino praefinito, ut infra illum, qui voluerit et valuerit, legitimum impedimentum opponat. Modus autem has proclamationes faciendi nonaginta circiter post annis a synodo provinciali Trevirensi sub Balduino habita ita decernitur, ut sacerdotes, cum contrahenda fuerint matrimonia, publice ter, scilicet per dies dominicos vel festivos proponant et proclamationem faciant in ecclesiis competenti termino praefinito [9]). Quod quidem a synodo Tridentina ulterius ita sancitum est, ut antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia publice denuntietur, inter quos sit contrahendum. Quum nobis de harum proclamationum cum missarum solemniis conjunctione tantum sit agendum, quaeritur, num ita iisdem jungendae sint, ut nunquam eas extra missam parochialem fieri licitum sit. Multi cum Barbosa asserunt, denuntiationem matrimoniorum fieri posse extra missarum solemnia, imo extra ipsam ecclesiam, si adsit populi concursus et locus aptus sit, ut ad multorum notitiam perveniant. Tali enim modo, argumentantur hi scriptores, concilii fini satisfit; qui autem fini et intentioni legis satisfacit, legi ipsi satisfacit. Ex iisdem rationibus asserunt denuntiationes matrimoniales fieri posse non diebus quidem ferialibus, attamen in die profesto, et quando ingens populi multitudo ad ecclesiam accedit, ut contingere solet in concionibus, processionibus et litaniis [10]). Verum haec extensio decreti verbis, quibus synodus utitur, contraria, saltem ab iis, ut Clericatus annotat, videtur esse aliena [11]). Hoc enim synodus tantum statuit, ut proclamationes infra missarum solemnia tribus diebus festivis in ecclesia fiant.

---

[8]) Epistola ad Polycarpum n. 5.

[9]) Cap. 91. apud Blatteau: statuta synodalia t. 1. p. 116.

[10]) Barbosa de officio et potestate episcop. p. II. alleg. 32. n. 15 et Ferraris l. c.

[11]) t. 2. lib 6 decis. 34 de matrim.

Digitized by Google

Dum ista interpretatio verba concilii exponere perhibetur, decretum ipsum fere solvere videtur; neque usui, quo leges firmantur, congruit.[12]) Simul tamen nonnumquam populo christiano causae exponendae sunt, propter qnas hae proclamationes ab ecclesia sancitae sunt cumque praecipue ad dignoscenda matrimonii impedimenta institutae sint, necesse est ut parochi fideles quoque de eorum, quae ad suam notitiam pervenerint denunciatione saepius admoneant, nec non simul declarent, nemini unquam licitum esse, falsum aliquod impedimentum denuntiando matrimonium impedire, imo potius talem grave committere peccatum poenasque incurrere. Neque praetermittenda est ipsorum impedimentorum expositio; ratio eorum a parochis fidelibus explicanda est, quo facilius hi promulgationum vim cognoscant, eorum fini respondeant, conscientia pura matrimonium ineant et mutuam sibi invicem fidem conservent.

Eadem quodammodo valent de proclamationibus ordinandorum, similiter in pronao faciendis. Ideo autem nomina eorum, qui ad ordines majores promovendi sunt, in ecclesia denuntiari solent, ut inquiratur, num ordinandi aliqua labe affecti sint vel aliqua irregularitate impediantur, quominus sacris initientur ordinibus. Oportet enim sacerdotes et diaconos irreprehensibiles esse, sine crimine, et testimonium habere bonum etiam ex iis, qui foris sunt.[13]) Quare synodus Tridentina statuit, ut parochus nominibus ac desiderio eorum, qui ad majores ordines volent promoveri, publice in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat.[14]) Nihil enim sacerdotio sanctius et sublimius, ministerium profecto ipsis angelis tremendum. Hinc illa apostoli admonitio: „Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.“[15]) Sedula igitur opus est inquisitione num

---

[12]) Juxta statuta synodalia ecclesiae Trevirensis proclamationes matrimoniales faciendae sunt in pronao vel intra missae parochialis solemnia continuis diebus dominicis vel festivis. et non aliis diebus, non ferialibus, sed diebus de praecepto festivis et quidem publice in ecclesia; cf. Rit. p. I. f. 235. et statuta synod. t. 4. p. 54. et rituale rom. de sacr. matrim. Secundum Sacr. Congregat. Concil. decretum a Ferrari citatum denuntiationes matrimoniales ex juxta causa possunt etiam fieri diebus festivis, dum cantantur Vesperae; eo scilicet casu, quo parochus in missa parochiali proclamationes facere oblitus fuerit neque fas sit nuptiarum celebrationem sine gravi incommodo amplius procrastinari.

[13]) I Timoth. III. 2, 7. T. I. 7.

[14]) Sess. 23 de reform. cap. 5.

[15]) I. Timoth. V. 22.

Digitized by Google

ordinandi revera doctrina, vita et moribus conspicui ad dignitatem sacerdotalem vocati, digni ac idonei sint, qui ad tam excelsa munia evehantur. Indiget ecclesia pastoribus, qui oves pascant verbo praedicationis doctae, exemplo conversationis sanctae, subsidio charitatis piae. Quam ob causam una cum denuntiatione ordinandorum fideles admonendi sunt, ut et pro ipsis ordinandis et pro episcopo ordines collaturo preces ad Deum fundant atque intimo affectu Dominum messis rogent, ut mittat operarios peritos in messem suam. Tota enim salus populi in manibus ipsorum reposita est.

§. 13.

Potestas a Christo ecclesiae data nan solum legislativa est, sed etiam judiciaria et coactiva; ratio ac indoles regiminis cujuscunque id jam involvit, ut legum praevaricatores etiam judicet poenasque ipsis infligat, quibus lex violata vindicetur. Ecclesiae revera a Christo hanc potestatem fuisse traditam, verba ejusdem: „Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo," et: „Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus," insinuant. [1]) Potestas enim ligandi alteram ferendi poenam, qua quis ligatur involvit, et talem quidem poenam, quae publice lata praevaricatorem sicut ethnicum et publicanum declarat, omni igitur ecclesiae communione eum privat. Quoad hanc potestatem clavium ecclesiae a Christo concessam recte observat synodus Cameracensis, a. 1565 habita: „Nihil dubitaudum est, duplex esse forum ecclesiasticum a Christo nomine clavium nobis insinuatum, alterum sacramentum poenitentiae, quod proprie ad conscientiam spectat, in quo reus nonnisi ex propria confessione solvitur et ligatur: alterum vero jurisdictionis et regiminis externi, in quo reus non solum ex propria confessione, sed etiam per testes convincitur et judicatur; quo judicio publica delicta corriguntur et puniuntur, ne per ea homines ab aeterna beatitudine secludantur, sed ad vitam aeternam perveniant." [2]) Cum regnum ecclesiae non sit de hoc mundo sed spirituale, poenae etiam, ab ipsa infligendae, spirituales tantum sunt, privationes scilicet bonorum, quorum dispensatrix est

---

[1]) Matth. XVIII. 16—18.
[2]) Titul. XIV c. 1. apud Hard. t. 10 p. 592..

Digitized by Google

Hanc potestatem sententias judiciales et poenas ferendi apostolos exercuisse, patet ex verbis eorum in concilio Hierosolymitano factis: „propter quod ego judico", ait s. Jacobus: „placuit apostolis et senioribus cum omni ecclesia;" „visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria" [3]). En decreta apostolorum, judiciaria potestate ab ipsis lata. Idem apparet ex tota s. Pauli contra incestuosum Corinthium agendi ratione. „Ego quidem, ait apostolus, absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi ut praesens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi tradere hnjusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi" [4]). Simili modo Hyemenaeum et Alexandrum, qui circa fidem naufragaverunt, tradidit satanae, ut discant non blasphemare [5]). Paulus igitur judicavit, sive decrevit in nomine et cum virtute Jesu Christi, ut Christi vicarius et minister vi auctoritatis a Christo ipsi datae, peccatorem istum publicum tradendum esse satanae, i. e. ut Estius aliique interpretantur, ejiciendum ac separandum a societate fidelium vel excommunicatione majori feriendum [6]). Alio adhuc loco apostolus ait, se in promptu habere ulcisci omnem inobedientiam secundum potestatem a Domino ipsi datam in aedificationem et non in destructionem [7]). Hanc potestatem censuras ferendi semper ab ecclesia fuisse exercitam, annales ecclesiastici per cuncta saecula testantur. Verum hic tantum de censurarum promulgatione missarum solemniis jungenda sermo faciendus est. Quamdiu poenitentia publica in ecclesia vigebat, ipsa reductio in statum poenitentium tanquam segregatio a communione fidelium reputanda erat: vetitum enim erat publice poenitentibus, ne sacris solemniis, i. e. missae fidelium interessent. Triplici autem ratione haec segregatio fiebat; culpae minus atrocioris reis jus oblationis et communionis participatio denegebatur; qui graviori culpa tenebantur, etiam a fidelium coetu prohibebantur; qui vero episcopi trina monitione contempta poenitentiae omnino se subjicere renuebat, ut ethnicus et publicanus habebatur, nec

---

[3]) Act. XV. 19, 22, 28.
[4]) I. Corinth. V. 3—5.
[5]) I. Timoth. I. 20.
[6]) Estii comment. in hunc loeum.
[7]) II. Corinth. X. 6 XIII. 10.

Digitized by Google

episcopus amplius illum ut christianum ad ecclesiam admittebat [8]). Illud autem hujus excommunicationis maximum erat signum, quod nomen excommunicati ex diptychis deleretur, idque satis erat episcopis comprovincialibus, ne et ipsi talem segregatum in communionem reciperent [9]). Nominum igitur deletio ex diptychis sine ulla alia peculari excommunicationis formula tanquam promulgatio ejusdem censenda erat. Exinde jam nexus intimus censurarum denuntiationum cum tota liturgia sacra apparet; segregatione publica ab oblatione et communione fidelium ipsa excommunicatio quasi promulgata erat; criminum atrociorum culpa affecti indigni declarabantur, qui sacrae eucharistiae celebrationi interessent. Id Tertullianus jam indicat, dicens: „ibidem, i. e. in fidelium synaxi, etiam exhortationes, castigationes et censura divina; nam et judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri judicii praejudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii religetur" [10]). Ipse apostolus hoc insinuat, cum dicat: „congregatis vobis et meo spiritu". Saeculis subsequentibus, praesertim media aetate exempla innumera occurrunt, quibus ostenditur, excommunicationes infra missarum solemnia fuisse promulgatas. Omnino autem tali promulgatione opus erat, ne fideles amplius cum homine a coetu ecclesiae segregato communicarent ipsique censurae ecclesiasticae rei fierent. Una cum promulgatione saepe etiam solemnis excommunicatorum ejectio conjuncta erat. Insigne hujus ejectionis ante oblationem factae exemplum, a Nicetio, episcopo Trevirensi, fervidissimo disciplinae ecclesiasticae vindice, datum, refert Gregorius Turonensis. „Cum enim Theodorico Francorum rege decedente Theudebertus filius ejus regnum ambiisset, ac multa iniqua exerceret et ab eodem, sc. Nicetio episcopo, plerumque corriperetur, quod vel ipse perpetraret vel perpetrantes non argueret: advenit dies Dominicus, et rex cum his, qui ab hoc sacerdote communioni abesse jussi fuerant, ecclesiam est ingressus. Lectis igitur lectionibus, quas canon sanxit antiquus, oblatis muneribus super altare Dei, ait sacerdos: Non hic hodie missarum solemnia consummabuntur, nisi communione privati prius abscedant"

---

[8]) Pellicia lib. 5. c. 3. §. 2.

[9]) Pellicia l. c. c. 9. §. 2.

[10]) Apolegit. c. 39.

Digitized by Google

Omnibus, qui sacerdotis sententia damnati fuerant, expulsis, demum sanctus Dei sacra peragebat [11]).

Abhinc saeculo nono excommunicatio plerumque infra missarum solemnia horrendis quibusdam deprecationibus adjunctis ab episcopo promulgabatur. Ipse lucernam ardentem in manibus tenens et a duodecim sacerdotibus qui pariter lucernas gestabant, stipatus, excommunicationem plebi explanabat, ut novissent, quod talis excommunicatus ab illa hora non pro christiano sed pro pagano habendus, neque ulli amplius licitum esset, cum illo quasi christiano communicare. Tum finita oratione omnes „fiat fiat" respondentes lucernas ardentes projiciebant in terram et pedibus conculcabant [12]). Juxta communem ecclesiae consuetudinem haec solemnis excommunicationum promulgatio evangelio cantato fiebat. Tales enim publici peccatores ob contumacem erga ecclesiae exhortationes animum indigni erant, qui amplius fidelium communionis participes fierent, quare eos ab eadem segregari fas erat, ne alios seducerent. Apta autem omnino et convenienti agendi ratione id ante oblationes fieri solet, quoniam lata excommunicationis sententia jus offerendi et sacris assistendi adimitur et gladio hujus censurae terribilis percussi a communione ecclesiae abscissi sunt, simulque eliminati a gremio matris ecclesiae et a consortio totius christianitatis.

Cum Salvator noster quoad fraternam correptionem dixerit: si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum, si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos — quod si non audierit eos, dic ecclesiae, si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus [13]); cumque apostolus admonuerit: „haereticum hominem post unam et secundam exhortationem devita" [14]): censuris ab homine latis trina monitio praemittenda est: priusquam enim ecclesia vi clavium gravissimam poenam cuiquam infligat, omnia alia remedia ad corrigendum peccatorem frustra adhibita fuisse necesse est. Quoad censuras a jure ipso decretas tali admonitione praevia opus non est, quoniam lex semper loquitur, semper clamat [15]). Hanc ob causam excommunicationum ab homine ferendarum pro-

---

[11]) Gregorii Turon. Vitae Patrum c. 17.
[12]) Martene: de antiquis ecclesiae ritibus l. 3. c. 5.
[13]) Matth. XVIII, 15—17.
[14]) Tit. III. 10.
[15]) Cf. Tournelly: cursus theolog. p. 6. de censuris p. I. c. 3. art. 4.

Digitized by Google

mulgationem monitionum publicatio antecedere solebat, quibus irritis factis demum censura ipsa infligenda esset. Saepe tales monitiones etiam ad finem revelationis aut pro deperditis seu subtractis rebus promulgabantur [16]).

Verumtamen hodierno tempore nulla fere vestigia severae disciplinae ecclesiasticae inveniri licet: rigor salubris primaevae ecclesiae evanuit, soluta est morum disciplina, frena libidinum sunt relaxata. Quamvis modus ille formidandus, censuras infligendi et promulgandi, medio aevo usitatus, non sit resuscitandus, utpote rerum circumstantiis et temporum rationibus non amplius conveniens, attamen censurae ipsae minime superfluae factae sunt [17]). Sobrie quidem magnaque circumspectione exercendus est excommuicationis gladius, quum experientia doceat, si temere aut levibus ex causis incutiatur, eum magis contemni quam formidari et perniciem potius parere quam salutem: attamen nervus est ecclesiasticae disciplinae et ad continendos in officio populos valde salutaris [18]). Tum autem haec potestas exercenda est, cum Dei et sanctorum honor, salus spiritualis ecclesiae et ipsius peccatoris aliorumque correctio id postulant. Cum Dei nomen per publicos et incorrigibiles legis divinae praevaricatores inter acatholicos et infideles blasphemetur, qui non cessent ecclesiam et religionem christianam eam ob causam contemnere et ludibrio habere, quasi ipsa peccatis indulgeat: lex divina violata censuris ecclesiasticis vindicanda talisque peccator ob contumaciam suam a communione fidelium segregandus est, ut et contumelia, qua suprema majestas affecta fuit, tollatur et ceteris horror salutaris incutiatur. Cum sacramenta incessanter animo procaci respuan-

---

[16]) Cf. s. Leonis M. s. 4 de collectis, ubi s pontifex auditores hortatur, ut Manichaeos ubique latentes presbyteris publicent. Ceterum a nemine prorsus praeterquam ab episcopo et tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate examinata tales monitiones decerni possunt. Trident. sess. 25. de reform. c. 3.

[17]) Vir. clariss. Hirscherus hac de re eleganter disserens ait: So lange es noch für Viele wohlthätig ist, daß sie durch offene Verwerfung von Seite der Kirche zum Bewußtsein ihres moralischen Zustandes gebracht und erschüttert werden; so lange es noch wohlthätig ist, offenkundiges und hartnäckiges Verharren in der Sünde öffentlich gerichtet und verworfen zu sehen; so lange es noch heilsam ist, durch die Scheu vor kirchlichen Strafen im Kampfe gegen sündiges Gelüsten unterstützt, und durch den Anblick der Gestraften aufgerichtet zu werden; so lange die Kirche noch ein moralisches Selbstbewußtsein und den Geist der Selbsterhaltung hat: so lange müssen und werden Kirchenstrafen sein. Die christliche Moral, t. 2. p. 325.

[18]) Conc. Trid sess. 25. de reform. cap. 3

Digitized by Google

tur et ecclesiae praecepta ac instituta publice et malitiose laedantur et profanentur, quin ulla admonitio peccatorem ad saniorem mentem reducat: rursus gladio spirituali animus in peccatis quasi inveteratus feriendus est, ut et ecclesiae auctoritas et sacramentis vindicetur sanctitas. Tum, ut apostolus judicavit, vetus fermentum expurgandum et malus a coetu fidelium auferendus est, quia modicum fermentum totam massam corrumpit. „Nam etsi illius, inquit, est peccatum, si tamen negligatur, potest totum corpus ecclesiae corrumpere; nam quando is qui primus peccavit, poenas non dederit, cito alii quoque eadem peccata admittent: ostendens quod non de uno solo, sed de tota ecclesia agitur et periculum subitur“ [19]). Verum invitus et dolens quodammodo hanc segregationis poenam in magni reatus ultionem animus vindicantis episcopi debet inferre. „Cum dolore amputatur etiam quae putruit pars corporis et diu tractatur, si potest sanare medicamentis: si non potest, tunc a medico bono absciditur. Sic episcopi affectus boni est, ut optet sanare infirmos, serpentia auferre ulcera, adurere aliqua, non abscidere; postremo quod sanari non potest, cum dolore abscidere“ [20]), ne ceteri ejusdem peccati veneno afficiantur. Ultima tandem ratio, propter quam censura infligenda, est salus ipsius peccatoris ac totius ecclesiae. Vinculis ecclesiasticis ligatur talis publicus et contumax peccator, „ut spiritus ipsius salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi“, ceterique majori timore ecclesiae auctoritatem revereantur. „Quam ob rem est magis curam gerentis et medentis, quam solum secantis, et temere et inconsiderate punientis: est enim lucrum poena majus; poena quidem temporalis, lucrum autem perpetuum“ [21]). Ecclesia igitur has censuras infligit, ut eum quem punit emendet, ut poena ejus ceteros meliores reddat ipsique sublatis malis securiores vivant; sperat enim fore ut talis praevaricator cum se videat a sacris exclusum, a fidelium communione segregatum, eorumque suffragiis privatum, tandem agnoscat sceleris sui magnitudinem et ab erroribus ac flagitiis suis resipiscat.

Dum medio aevo excommunicationum sententiae creberrime

---

[19]) I Corinth. V. 6, 7, 13: et s. Chrysost. hom. 15. in hunc locum.

[20]) Ambrosius de officiis ministrorum lib. 2. cap. 27. Eodem pietatis affectu ecclesia filiorum suorum mater amantissima moveri sese contestatur, dum generalibus in conciliis a suo corpore quempiam cogitur abscindere. Ita editores Maurin. ad hunc locum.

[21]) Chrysost. homil. 15 in I ad Corinth.

Digitized by Google

ac nonnunquam ob leviores quoque causas latae sunt, quamvis aetas tanto vigore ac feroci quodam corporis animique robore excellens freno hoc salutari egeret, quo intra legum fines, servanda et quasi temperanda ac edomanda esset: novissimis temporibus omnino fere obliteratae et oblivioni traditae sunt. Perversum quoddam et insipidum hominum mentes illuminandi studium, in dies magis magisque crescens lateque circumrepens indifferentismus et tantopere laudata dissidentium tolerantia nec non morum perversitas disciplinam quoque ecclesiasticam solverunt. Attamen meliora tempora jam appropinquarunt, canonum auctoritas iterum reviviscere coepit. Cum falsi prophetae et seductores populi surrexerint et vesano reformandi studio perducti sanam ecclesiae catholicae doctrinam violarint atque a fide defecerint; episcopi non cunctati sunt, filios inobedientes ac obstinatos et quascunque paternas admonitiones respuentes vi clavium ipsis collatarum in nomine et virtute Jesu Christi excommunicationis gladio ferire et decernere, ut lata sententia fidelibus infra missarum solemnia denunciaretur. Nam „quando ita cujusque crimen notum est omnibus, et omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere: non dormiat severitas disciplinae, in qua tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior confirmatio charitatis. Tunc autem hoc sine labe pacis et unitatis et sine laesione frumentorum fieri potest, cum congregationis ecclesiae multitudo ab eo crimine, quod anathematizatur, aliena est. Tunc enim adjuvat praepositum potius corripientem, quam criminosum resistentem. Tunc se ab ejus conjunctione salubriter continet, ut nec cibum quisquam cum eo sumat, non rabie inimica, sed coercione fraterna. Tunc etiam et ille timore percutitur, et pudore sanatur, cum ab universa ecclesia se anathematizatum videns, sociam turbam, cum qua in delicto suo gaudeat et bonis insultet, non potest invenire“ [22]).

---

[22]) Augustin. contra epistolam Parmenian. lib. 3 Hodierno tempore praeivit hac in re exemplo praeclaro ecclesia Wratislaviensis, ut et hic, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Neque ulla ratione Reverendiss. et Illustr. princeps episcopus Wratislaviensis censuras ecclesiasticas resuscitare dubitavit, ubi leges violatae et scandalum publicum id postulabant. Sane tum demum haec ecclesiae potestas exercenda est, cum nulla alia via amplius supersit, qua canonum auctoritas servetur et scandala publica fidelibus innoxia reddantur; attamen tum non amplius est cunctandum, quin censurae infligantur, cum ex diuturniore indulgentia ipsi ecclesiae maxima incommoda et mala oritura sint.

Digitized by Google

„Nemo autem vincula contemnat ecclesiastica. Non est enim homo, qui ligat, sed Christus, qui nobis dedit hanc potestatem, et efficiens, ut homines in sua potestate habeant tantum honorem“ [23]).

Sicut censurarum promulgatio infra missarum solemnia fieri solet, ita et absolutio et reconciliatio publica plerumque iisdem conjuncta est [24]). Rationem hujus consuetudinis s. Ambrosius indicat, dicens: „Etenim quotiescunque sanguinem dominicum sumimus, mortem domini annuntiamus. Sicut ergo semel pro omnibus immolatus est, ita quotiescunque peccata donantur, corporis ejus sacramentum sumimus: ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio“ [25]). Merito ibi absolutio excommunicatorum et reconciliatio eorum cum ecclesia peragi solet, ubi memoria Salvatoris ejusque mortis propitiatoriae, per quam a peccatis liberati et cum Patre reconciliati sumus, celebratur; sanguis enim ipsius pretiosissimus nostra redemptio fuit. Absolutione demum peracta et in sanguine agni immaculati peccatorum remissione obtenta aditus etiam patet ad sacrae eucharistiae participationem, cujus quis dignus tantum redditur communione prius cum ecclesia restituta et reconciliatione per Christum cum Deo Patre inita.

Conclusio.

§. 14.

Singulis pronai partibus absolutis eorumque conjunctione praeprimis externa cum missarum solemniis illustrata, ratio adhuc interna, qua invicem cohaereant, nobis est exponenda. Ecclesia quodammodo est Christus ipse Salvator mundi per cuncta saecula vivens et hominum salutem operans. Priusquam enim ad Patrem rediret, apostolis, data ipsis potestate, evangelium universae creaturae praedicandi, hanc simul fecit promissionem: „ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi“ [1]). Revera Christus in ecclesia, quam sanguine suo acquisivit, vivit

---

[23]) S. Chrysost. hom. 4. in epist. ad Hebr.

[24]) Cf. Morinum de poenitentia lib. 8. c. 14., ubi hujus consuetudinis antiquitas multis testimoniis ss. patrum et sacrarum liturgiarum demonstratur. Ejusdem vestigium quoddam commemoratur apud Wiseman: Die Liturgie der stillen Woche, p. 90 et 91.

[25]) De poenitentia lib. 2 cap. 3.

[1]) Matth. XXVIII. 20.

Digitized by Google

ac imperat, pretium redemptionis in ara crucis peractae hominibus distribuens et applicans. Sempiternum enim habet sacerdotium, unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis [2]). „Deus et Dominus noster, etsi semel se ipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem sacerdotium ejus exstinguendum non erat, in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, ejusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, — corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo patri obtulit, ac sub earum rerum symbolis apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerent, praecepit" [3]). Tali modo tabernaculum fixit in medio hominum, et habitat cum eis animosque eorum nutrit pane vitae coelestis et calice salutis perpetuae eos inebriat. In hoc sacrificio incruento sacerdos et pontifex futurorum bonorum continuo pro nobis se offert Patri suo hostiam puram et immaculatam. „Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa" [4]). Christus est fons totius sacerdotii, ut D. Thomas observat; nam sacerdos legalis erat figura ipsius: sacerdos autem novae legis in persona ipsius operatur [5]). Verus quidem et ipse sacerdos est, sed ministerialis; ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: attamen Christus primarius sacerdos est, ipse quoque melioris et quidem novi ac aeterni testamenti mediator et magnus ovium pastor, cujus sanguine redemti sumus. Per sacerdotes ut proprios suos ministros Christus continuo se offert, Patri repraesentans pretium sanguinis sui in mundi reconciliationem et consummationem. Verumtamen non solum qua sacerdos, sed etiam qua magister et rex,

---

[2]) Hebr. VII, 24. 25.
[3]) Conc. Trident. sess. 22 cap. 1.
[4]) Conc. Trident. sess. 22 cap. 2.
[5]) Summae p. III. q. 22, art. 4.

Digitized by Google

cui data est omnis potestas in coelo et in terra usque ad finem temporum vivit ac regnat in ecclesia sua, sempiternum quoque magisterium et imperium possidet atque exercet. Continuo gentibus evangelium annuntiat et populos per baptismum ecclesiae communioni adjungit, in fide confirmat, peccata remittit, ligat et solvit, morientes adiuvat, operarios in vineam suam vocat et totum ecclesiae corpus ipsi tanquam capiti connexum regit ac gubernat [6]). Neque enim divisus est Christus, sed omnia quae olim homo factus pro totius mundi salute in terra docuit, fecit et meruit, jam in ecclesia peragit nobisque applicat. In ipsum quidem coelum introivit, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis [7]); verum e regali sede divina sapientissime cuncta disponit omniaque ad se trahit. Quemadmodum cum in mundo esset, ut homines salvos faceret et Patri reconciliaret, munus propheticum aeque ac regium et sacerdotale exercebat, nec ullum ab alio erat sejunctum; ita et nunc munera haec non sunt separanda. Nam a primo incarnationis momento usque ad extremum mortis piaculum vita Salvatoris nostri sacrificium erat perenne, obedientiae perfectissimae affectu patri dedicatum, ut reatum inobedientiae protoparentum solveret. Quamvis nunc magisterium nunc rursus ejus dominium super omnem terram, nunc munus sacerdotale hominibus magis illucesceret, quovis tamen hujus vitae terrestris momento cuncta in persona sua conjunxit. Simul ac semper erat et magister et dominus et mediator. Priori vero tempore praecipue qua magister et pastor oves perditas Israeliticas ad pascua vitae aeternae ducebat, qua verbum et sapientia viam veritatis homines docebat, qua lux vera mundum tenebris involutum illuminabat. Non solum verba, quae ex ore ejus procedebant, verum etiam signa, quae patrabat, consilia divina et mysteria sacratissima manifestabant. In signis veritates quoque sapientiae aeternae aperiebantur. In verbis et signis praeter magisterium simul et dominium Salvatoris in omnem creaturam, tam corporalem quam spiritualem, tam homines quam angelos et daemones elucebat. „Admirabantur turbae super doctrina ejus. Erat enim docens eos sicut potestatem habens et non sicut Scribae eorum et Pharisaei“ [8]). Neque tamen non et obedientia ejus sacerdotalis, abnegatio ac immolatio sui

---

[6]) Cf. Möhleri: Symbolik, dritte Auflage. p. 301 et seqq.
[7]) Hebr. IX. 24.
[8]) Matth. VII. 28, 29.

Digitized by Google

ipsius perdurabat iisdemque temporum momentis pariter exercebatur. Filius enim hominis non habet, ubi caput reclinet. Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo [9]; multimodis opprobriis et persecutionibus affectus. Verum per velamina tantae infirmitatis humilitatis ac paupertatis iterum regia ejus majestas translucet. In humilitate celsitudo, in carnis imbecillitate virtus divina, in servi exinanitione domini potestas, in obedientia filii hominis gloria filii Dei ac regis coelestis, cui omnia serviunt, angeli et homines, venti et fluctus maris, coelum et terra, collustrat. „Pauper enim factus est, cujus sunt omnia et per quem creata sunt omnia — noluit rex ab hominibus fieri, quia humilitatis ostendebat viam miseris, quos ab ea superbia separaverat, quamvis sempiternum ejus regnum universa creatura testetur. Esurivit, qui omnes pascit, sitivit, per quem creatur omnis potus et qui spiritaliter panis est esurientium, fons est sitientium. Ab itinere terrestri fatigatus est, qui seipsum nobis viam fecit in coelum. Velut obmutuit et obsurduit coram convitiantibus, per quem mutus locutus est et surdus audivit. Vinctus est qui de infirmitatum vinculis solvit, flagellatus est, qui omnium dolorum flagella de hominum corporibus expulit, crucifixus est, qui cruciatus nostros finivit, mortuus est qui mortuos suscitavit; sed et resurrexit nunquam moriturus, ne ab illo quisquam sic discat mortem contemnere quasi nunquam futurus“ [10]. Tandem igitur, postquam hominibus voluntatem aperuit divinam, factus obediens usque ad mortem crucis mundum Patri reconciliavit, oblatus ad multorum exhaurienda peccata. Quemadmodum autem hucusque magisterium Salvatoris praecipue se manifestabat, ita nunc, hominum animis evangelii praedicatione ad suscipiendam religionem christianam praeparatis, sacerdotium ejus prae ceteris prodibat muneribus; semetipsum enim obtulit Deo immaculatum, moriendo mortem destruxit, vitam resurgendo reparavit et sic per oblationem corporis sui aeternam redemptionem invenit. Attamen neque in ara crucis sapientia homines verbo vitae aeternae illuminare desiit; ipsa crux facta est cathedra mundi, in qua illi annuntiatur, in Christo ipsam ad peccatores misericordiam, ipsam ad errantes veritatem, ipsam ad mortuos vitam descendisse, vincula

---

[9]) Philipp. IV. 7.
[10]) Augustin. de catechizandis rudibus c. 22.

Digitized by Google

captivitatis esse soluta et libertatem filiorum Dei recuperatam. Ultimum redemptoris suspirium adhuc erat annuntiatio salutis mundo comparatae. Verum et regia ejusdem potestas crucis aram irradiavit, cum latroni contrito paradisum promitteret et matrem filio commendaret. Facta est crux simul tribunal Domini et judicium mundi, cum in execrationem judaici sceleris una protulerunt omnia elementa sententiam, cum obscuratis luminaribus coeli et converso in noctem die, terra quoque motibus nutaret insolitis universaque creatura impiorum usui se negaret. In cruce exaltatus Dominus omnia traxit ad se, crux omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte [11]). Haec admirabilis potentia crucis, haec ineffabilis gloria passionis, haec regia Crucifixi potestas etiam sacratum Domini sepulcrum illustrabat. Nam Christus resurgens ex mortuis jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur; traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter justificationem nostram. Tali modo non solum qua sacerdos divinam justitiam placavit, verum etiam qua magister, dominus ac rex omnia consummavit; mors absorpta est in victoria. Jamque super omnes coelos ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. Sedens ad dexteram Patris qua dominus ac caput totius corporis ipsius sanguine redemti cuncta regit et gubernat. Datum est ei omne regnum et imperium et oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. E monte Sion et e civitate Dei viventis sceptrum gerit super omnem terram ut gentes vocet in viam novam, quam initiavit nobis et gloriae suae participes faciat.

Rursum autem quamvis infirmitas in virtutem, mortalitas in aeternitatem, contumelia transiverit in gloriam, quamvis munere magisterii et sacerdotii perfunctus jam omne regnum et imperium susceperit: e sede sua regali non desinit qua magister et sacerdos populum sibi praeparare sanctam et electam omniaque trahere ad semetipsum. Etiam qua pontifex et sacerdos magnus super domum Dei sedet in dextera sedis magnitudinis in coelis. Ibidem causam agit nostram apud Patrem, pro nobis interpellans et merita passionis suae nobis communicans. Consummatus enim factus est omnibus obtemperantibus sibi causa

---

[11]) Cf. s. Leonis serm. 59.

Digitized by Google

salutis aeternae appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech. Sacrificium cruentum in cruce peractum est fons salutis totius generis humani; verum undae sanguinis pretiosissimi in ara mundi perfusi semper fluunt in sacrificio eucharistico, quo sacrificium cruentum perenni et reali commemoratione repraesentatur ejusque fructus nobis communicantur. Habemus enim altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt [12]). Hanc sacratissimam passionis et mortis Salvatoris nostri memoriam recolentes non possumus quin et cetera mysteria recordemur. Vivit in medio nostrum redemptor noster qua sacerdos et pontifex sub velaminibus panis et vini gloriam suam occultans seseque pro hominum salute offerens. Quotiescunque autem fit haec oblatio munda, Christus ut olim cum adhuc in terris degeret, non solum qua sacerdos pro nobis se offert, verum etiam qua dominus et magister nos regit et pascit. Nonne totum missae sacrificium viva repraesentatio mortis Salvatoris nostri? Nonne simul et revelatio ac manifestatio divinae sanctitatis et charitatis? Nonne varia illa signa externa, quibus mysterium tremendum est involutum, sunt totidem verba doctrinae salutaris, quae mentem ad coelestia erigunt? nonne lectiones divinarum scripturarum missae sacrificio conjunctae annuntiant nobis praecepta et consilia regis nostri aeterni? Nonne Christus etiam qua dominus et judex in hoc sacrificio simul et bona distribuit et qua pastor non solum verbis salutaribus verum etiam pane coelesti nos pascit et nutrit? nonne judicium ipsum hic jam incipit? Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Revera igitur est vita et resurrectio nostra, sed judicium quoque in hac mensa repositum est [13]). Ergo nec in hoc incruento sacrificio sicut olim in ara crucis munus Christi propheticum et regium aeque ac sacerdotale exerceri desinit. Idem est rex ac magister, idem dominus ac sacerdos. Prae omnibus quidem muneribus sacerdotium ejus eminet; quemadmodum olim in morte crucis obedientia ejus per quam salvati sumus, splendidissime se manifestavit: ita nunc quoque commemoratio hujus mortis summam totius cultus divini constituit. Verumtamen quemadmodum olim ante consummationem salutiferae illius obedientiae evangelii praedicatio primum locum

---

[12]) Cf. cl. Veith: Eucharistia p. 101 et seqq.

[13]) Cf. cl. Maier: Exegetisch-dogmatische Entwickelung der neutestamentlichen Begriffe ζωή, ἀνάστασις und Κρίσις in ephemeridibus Friburgensibus t 2. fascil. 2.

Digitized by Google

tenebat, ita et nunc oblationem ipsam praecedere debet, qua mentes ad ingredienda sancta sanctorum praeparentur: neque tamen nunc ab illa separanda est, quum nec olim, cum Christus inter homines commoraretur, sacerdotium ejus a magisterio sejunctum fuerit, sed alterius radii simul et in altero refulserint. Porro quemadmodum quum Christus voluntatem Patris hominibus patefaceret, turba eum circumdabat et tam verbis quam signis ipsius attonita exclamabat: „quia propheta magnus surrexit in nobis et quia Deus visitavit plebem suam"; sive: „Miserere nostri, fili David; Jesu praeceptor miserere nostri": ita et nunc fidem nostram in ipsum solemniter profitentes audita voce evangelica ad gradus altaris provoluti gratiam divinam pro totius mundi salute deprecamur, ut rivuli salutiferi ex hoc fonte emanantes super universam terram se effundant. Quemadmodum tandem Christus priusquam moriens pro nobis solveret Adae delictum, legem novam promulgabat, apostolos vocabat et initia ac fundamenta regni ab ipso fundandi jacebat: ita et nunc ecclesia vices ejus gerens qua societas in Christo adunata leges suas proclamat et qua judex ligat et solvit, antequam oblatio et communio fiant, quippe quarum fideles tantum ecclesiae uniti participes fiant. Ordo igitur, quo singulae pronai partes missae sacrificio jungendae sint, omnino respondet rationi ac modo, quo Christus praeclarum redemptionis nostrae opus patravit. Sacrae liturgiae ordo jam nil aliud est nisi vita ipsa Salvatoris nostri commemoratione solemni a nobis celebrata, qua simul fructus mortis ejus salutiferae nobis applicentur. Quod igitur tunc non fuit separatum, nec nunc separandum est. Ecclesia enim Christi personam gerit; per ipsam Christus loquitur, per manus ipsius se offert Patri nobisque fructus passionis suae communicat. Merito autem non solum evangelii annunciatio, verum etiam sacramentorum administratio variaeque benedictiones cum missae sacrificio, quoties fieri potest, conjungendae sunt. Omnis enim sanctificatio e sacrificio cruento, cujus incruenta repraesentatio et commemoratio in missae sacrificio peragitur, derivatur ac profluit [14]).

---

[14]) In ecclesia antiqua administratio solemnis sacramenti baptismi et confirmationis die sabbato paschatis et pentecostes missarum solemnia immediate antecedebat; ss. ordinum collatio iisdem arcte conjuncta est; s. eucharistiae distributio seu communio partem sacrificii constituit; matrimonii benedictio etiam eidem jungenda est, cum sit magnum sacramentum in Christo et ecclesia, quod, ut Tertullianus ait, confirmat oblatio. Idem valet de solemnioribus benedictionibus.

Digitized by Google

Dum in missis quotidianis fidelium devotio privata praecipue nutritur eorumque animus laetatur in Deo Salvatore suo, cujus passionem ac mortem recolat et cujus meritorum particeps fiat: in missis solemnibus diebus scilicet dominicis et festivis cuncta mysteria redemptoris nostri ab universo fidelium coetu grata annua commemoratione celebrantur. In missa vero parochiali tota parochia, qua pars societatis universae ecclesiae catholicae hisce diebus Deo omnipotenti grates debitas persolvit et nomini ejus sanctissimo omnem reddit honorem ac gloriam. Cum autem non sit in alio aliquo salus nisi in nomine Jesu Christi, per cujus sanguinem redemptionem habemus, cumque omnes divitiae gratiae ejus e vivifico crucis salutiferae fonte ad hominum corda redundant: merito ex hoc simul omnem laudem haurimus, qua Patrem ipsum veneramur; nec non memores tantae majestatis et tam eximii amoris Jesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium et carnem suam nobis dedit ad manducandum, non possumus quin sacramentali vel saltem spirituali communione cum ipso et toto ejus corpore uniamur. Sanctam enim eucharistiam Salvator noster in ecclesia sua tanquam symbolum reliquit illius unitatis et charitatis, qua christianos omnes inter se conjunctos et copulatos esse voluit [15]). Unitas autem haec recolitur quidem et fovetur quacunque sacrosancti missae sacrificii celebratione; in missa vero parochiali diebus dominicis et festivis peragenda unitas totius parochiae cum Christo Salvatore et per ipsum qua mediatorem cum Patre repraesentatur et celebratur, simulque unitas et communio cum tota ecclesia catholica. „Quoniam unus panis, unum corpus sumus omnes, qui de uno pane participamus“ [16]). Totum enim, quod de Christo annuntiatur, caput et corpus est. Caput est ipse unigenitus Jesus Christus filius Dei vivi, ipse salvator corporis, qui mortuus est propter delicta nostra et resurrexit propter justificationem nostram. Corpus ejus ecclesia nosque membra. Verum membra Christi per unitatis charitatem sibi copulantur, et per eandem capiti suo cohaerent, quod est Christus Jesus [17]). Cum haec communio praecipue in missae sacrificio celebretur, istud revera non solum centrum totius publici cultus divini est, verum etiam celeberrimum unitatis signum, vinculum caritatis, concordiae sym-

---

[15]) Conc. Trident sess. 13 de eucharist. cap. 8.
[16]) I Corinth. X. 17.
[17]) Cf. Augustin. de unitate ecclesiae.

Digitized by Google

bolum. „Omnibus siquidem unum corpus, unum poculum proponitur; — communia quoque et a sacerdote et a fidelibus vota fiunt atque omnes unam eandemque precem concipiunt, precem inquam misericordia plenam. Ad haec cum pax danda, vicissimque accipienda est, omnes aeque inter nos exosculamur. Jam in tremendis quoque mysteriis, ut sacerdos pro plebe, ita plebs pro sacerdote vota facit. Etenim omnes, tanquam domum unam, sic ecclesiam habitare, omnes, ut unum corpus, ita affectos esse convenit, quemadmodum videlicet et baptisma unum est et mensa una et fons unus et creatio una et denique pater unus“ [18]). Quemadmodum in missae sacrificio ecclesiae unitas quoad cultum praecipue repraesentatur: ita etiam continua ejusdem celebratione semper fovenda et missarum parochialium solemniis parochiae unio et communio cum toto ecclesiae corpore exprimenda et nutrienda est. Cum vero triplici muneri, prophetico, sacerdotali et regio triplex quoque unitas doctrinae, cultus et societatis respondeat, cumque illa munera quondam in persona Christi conjunctim hominum salutem operati sint: ita et nunc in recolendis ejusdem vitae mysteriis triplex haec unitas tanquam signum et fructus hujus commemorationis apparet. Una eademque fides ecelesiae catholicae toto orbe terrarum, una eademque fidei manifestatio, unus idemque cultus, eadem sacramenta, una eademque oblatio munda in omni loco ab ortu solis usque ad occasum nomini altissimi offertur; una eademque societas, unum corpus, cujus caput invisibile Christus, cujus membra fideles sub uno eodemque visibili pastore, Christi vices gerente [19]). Praeclarissimum autem publici cultus divini unitatis symbolum est sacrosanctum missae sacrificium, quo simul et fidei et corporis unitas refulget. Neque tamen non solum haec unitas missarum solemniis exprimenda, verum etiam nutrienda et augenda est, quo majora in dies incrementa faciat. Hoc autem praecipue fit in missa parochiali diebus dominicis et festivis. Priusquam enim fideles sacramentali seu spirituali communione cum Christo se uniant, fidei affectum in semetipsis excitare debent. Fides autem fovenda evangelii praedicatione. „Quid enim nunc agimus, ait s. Augustinus, nisi ut credant, non qui non credunt, sed qui adhuc parum credunt? Nam si nullo modo credidissent, hic non essent. Fides

---

[18]) Chrysost. homil. 18 in II Corinth.
[19]) Cf. Staudenmaier: Encyklopädie v. 1103, 1110 et sqq.

Digitized by Google

eos adduxit, ut audiant, fides eos fecit praesentes verbo Dei, sed ipsa fides, quae germinavit, irriganda est, nutrienda est, roboranda est. Hoc est, quod agimus" [20]). Hinc etiam monebantur antiquitus, qui in fraterno odio erant, ut ad concordiam venirent, priusquam communicarent [21]).

Hac admonitione praeter fidei affectum simul et charitatis excitanda est. Quemadmodum fidei unitas praedicatione unius ejusdemque evangelii se manifestat: ita charitas precibus communibus viva exhibetur. Servanda enim nobis est unitas spiritus in vinculo pacis; fovetur autem haec charitatis unitas praecipue orationibus, quibus omnes homines christiani invicem se commendant; nec non et in his omnibus orationibus de uno mediatore securi sunt; nam haec oratio pro invicem membrornm omnium ascendit ad caput quod praecessit in coelum, in quo est propitiatio pro peccatis nostris. Unus enim Deus, unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, in quo et nos unum sumus, si servemus unitatem spiritus in vinculo pacis [22]). Est autem ecclesia, cujus qua societatis unitas promulgationibus ab ipsa, custode et conservatrice unitatis fidei et charitatis nec non rectore totius corporis faciendis manifestatur. Fidei charitatis et societatis unitate firmata demum fidelium oblationes fiunt, quibus communio cum ecclesia exprimitur, ac tandem consecratione peracta unio ipsa celebratur sacramentali sive spirituali corporis et sanguinis Domini participatione, qua concorporei et consanguinei Christi Salvatoris efficimur. Revera igitur pronaus, cujus partes praedicatio, oratio communis et promulgationes ecclesiasticae constituunt, atrium sive vestibulum navis ecclesiae est, perducens ad sancta sanctorum. Verum haec quoque praeteribunt. Quemadmodum sacrificia veteris testamenti quasi pronaum novi et immaculati sacrificii constituebant: ita hoc ipsum nec non tota hujus vitae peregrinatio christiana est quidam pronaus domus non manufactae, sed aeternae in coelis, ubi per saecula infinita celebratur et vivitur unio et communio cum Trinitate adoranda et omnibus sanctis nunquam nec solvenda nec destruenda.

---

[20]) Serm. 43.

[21]) Durandus putat ex hac admonitione post evangelicam lectionem facienda praedicandi usum in ecclesia inolevisse l. 4 c 26.

[22]) Cf. Augustini lib. 2. contra epistolam Parmeniani.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google